



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

Liber LII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)



HISTORIA
 ECCLESIASTICA.
 LIBER LII.

HADRIANUS II. PAPA.
 LUDOVICUS II. IMPERATOR OCC.
 BASILIUS IMP. ORIENT.

§. I.

*Epistolæ Hadriani ad Carolum
 Regem.*

Hadrianus Papa, cum comperisset, Re- Sæculum IX.
 gem Carolum, mandatis suis infu- A.C. 870.
 per habitis, possessionem regni Lo-
 tharii adiiſſe, vehementer commotus a- Sup. L. LI.
 lios miſit Legatos cum Epistolis ſex, quin- §. 25.

G g 3 to

Sæculum IX. to Cal. Julii, Indictione decima tertia,
A. C. 870.

Hadr. ep. 23.

nempe 27. Junii anno octingentesimo septuagesimo datis. Prima scripta est ad ipsum Carolum, cui exprobrat, quod Legatos suos sprevisset, eisque illum honorem, quem Reges exhibere adsuevisset, non exhibuisset. Legati, de quibus hic sermo, erant Paulus & Leo, anno superiore missi. Rursus objicit, quod fidem fregisset, quam jurasset promittens, se regna fratrum suorum non usurpaturum, nempe Lotharii Imperatoris ditiones omnes, ad quas Lotharii junioris regnum, tanquam pars, utique pertineret. Tandem, quod illud eripiat Ludovico Imperatori, fratris sui defuncti hæredi legitimo, & illo tempore eripiat, quo Ludovicus contra Saracenos, Christiani nominis hostes infensissimos, pugnaret. In fine dicit: *Præcipimus tibi, affectu paterno, ut tertia hac admonitione accepta Imperatoris regnum detinere cesses. Nisi obtinueraveris, nos ipsi illo proficissemur, & quod munus nostrum est, faciemus.* Tandem Legatos suos ei commendat, videlicet Joannem & Petrum Episcopos, & Petrum Cardinalem, quibus ea referenda commiserat, quæ literis mandare noluerat. Alii quoque Episcopi hos Legatos comitabantur Wibodus & Joannes a Ludovico Imperatore missi.

ep. 27. Eadem Papa Episcopis in regno Caroli &

& sigillatim Hincmaro, tanquam pri-
mam Dignitatem obtinenti scripsit. Que-
ritur, quod Hincmarus Epistolis suis per
Legatos priores transmissis non respon-
didit, quam rem sine exemplo esse di-
cit, eumque, cum Regem a consilio in-
vadendi regnum nepotis sui revocare
noluisset, non conscium modo, sed etiam
injuriam auctorem haberi posse. Jubet
deinde Hincmarum ceterosque Episco-
pos Regem Carolum, si obedire detre-
ctet, a sua Communionem & omni com-
mercio excludere, si ipsi Papae Commu-
nionem digni esse vellent. Scripsit quo-
que Papa Epistolam ad Regni Caroli Pro-
ceres, illi quam ad Episcopos dederat,
per omnia similem.

Tandem datis ad Ludovicum Regem
Germaniam, ejusque regni Episcopos li-
teris, laudat Regis moderationem, quod
pacem & concordiam cum Ludovico
Imperatore conservasset, & ab injusta
cupiditate alienus regnum Lotharii non
expetisset. Unde patet nescivisse Pon-
tificem Ludovici Regis consilia, quod
paulo post videbimus. Queritur vero,
quod Rex Episcopum Colonensem, Sa-
cra Sede inconsulta, ordinari permiserit.
*Cum enim, inquit, Guntharius nostro
Judicio depositus fuerit, ei Successor no-
bis insciis dari non debuit. Quare Or-
dinationem istam non confirmamus, de-*

Gg 4 nec

Sæculum IX.

A. C. 870.

ep. 24. 25.

ep. 26.

ep. 27. 28.

*Sæculum IX. nec ille, qui ordinatus fuit, ad nos venit
A. C. 870. rit & in Concilio iudicatus fuerit.*

§. II.

Archiepiscopi Trevirensis & Coloniensis.

Ecclesiæ Trevirensis & Coloniensis jam annis sex vacabant, nempe ex quo Nicolaus Papa Theutgaudum & Guntharium anno octingentesimo sexagesimo quarto deposuerat. Theutgaudus vero Archiepiscopus Trevirensis Romæ vita excefferat, quo se cum Gunthario anno octingentesimo sexagesimo septimo contulerat, invitatus ab Arsenio Episcopo versuti ingenii viro & lucri cupido, qui ambos restitutionis spe lactaverat, ut magna dona eliceret; at Rex Carolus, Regno Lotharii occupato, Proceribus ad consilium adhibitis, Archiepiscopatum Trevirensis Bertulfo Adventii Episcopi Metensis nepoti contulit, ad Coloniensem Ecclesiam promoturus Hilduinum Abbatem, Guntharii fratrem, cui olim Lotharius junior Episcopatum Cameracensem destinaverat. Hunc in finem eundem Aquisgrani Presbyterum iussit ordinari a Francone Episcopo Tungrensi, qui ei Titulum S. Petri in civitate Coloniensi dedit.

Ludo-

Ludovicus Rex Germaniæ ægrota-
 bat in Bavaria, dum frater ejus Carolus
 possessionem capiebat Lotharingiæ, (hoc
 nomen do Lotharii regno, cujus pars
 exigua erat provincia hodie sic dicta)
 quo nuncio accepto Ludovicus admo-
 dum commotus misit, qui fratrem suum
 rogarent, ut expectaret, donec ejus va-
 letudo confirmaretur, tunc enim melius
 inter ambos de illo regno convenire
 posse. Interim Liutbertum Archiepis-
 copum Moguntinum clam Coloniam mit-
 tit cum mandatis; Hilduini Ordina-
 tionem quacunque demum ratione an-
 teverteret, & Episcopum Coloniensem
 ex Clericis ejusdem civitatis, in quem
 populus consensisset, consecraret. Liut-
 bertus acceptis viæ sociis aliquot Epis-
 copis Diuzam, hodie Duyzium, oppidum
 civitati Coloniensi ultra Rhenum dire-
 cte adversum, celeriter se contulit, non
 ausus fluvium trajicere, ne in manus
 exploratorum Regis Caroli incideret.
 Ibi vero Clericorum & populi Coloniens-
 is præcipuis ad se accersitis, quid Rex
 sibi præcepisset, exposuit. Responde-
 runt illi, suam Ecclesiam Archiepiscopa-
 lem jam Hilduino esse collatam, ejus-
 dem Ecclesiæ Presbytero ordinato, ple-
 rosque se futuro Episcopo submisisse,
 denique nullo modo fieri posse, ut alium
 eligerent. Quibus Liutbertus: *Si Epis-*
copum

Sæculum IX. *copum eligendi licentia, quam Rex offert,*
A. C. 870. *uti non vultis, in potestate ejus est,*
quemcunque alium, quam ipse voluerit,
vobis invitis dare. Illico mutatis ani-
 mis Guillebertum unanimi consensu e-
 ligunt, virum venerabilem, quem licet
 reluctantem Liutbertus Archiepiscopus,
 superato Rheno, ceteris Episcopis, Cle-
 ricis, populoque comitantibus, ordina-
 vit, atque solemniter in Sedem Colo-
 niensem invexit. His peractis Liutber-
 tus sine mora revertitur.

Rex Carolus, Aquisgrani tunc com-
 morans, hac Ordinatione comperta,
 haud modice offensus, protinus Colo-
 niam contendit, cum vero Guilleber-
 tus, cunctique, quibus in illa Ordinati-
 one pars aliqua fuerat, trans Rhenum de-
 lati, ejus indignationem effugissent, non
 habens in quos iram effunderet, redire
 Aquisgranum cogitur. Hæc itaque fuit
 Ordinatio Archiepiscopi Coloniensis,
 de qua Pontifex conquerebatur. Ve-
 rum nec in ista, nec in causa regni Lo-
 tharingici impetrare potuit, ut Reges
 morem gererent. Guillebertus Sedem
 suam retinuit, & coacto Concilio Co-
 loniæ vigesima sexta Septembris anno
 octingentesimo septuagesimo cum duo-
 bus aliis Metropolitibus Liutberto Mogun-
 tino & Bertulfo Trevirensi præfuit. E-
 piscopis Saxoniam quoque præsentibus
 Dedi.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis Colo- Sæculum IX.
nienfis Sancto Petro Sacræ celebrata. A. C. 870.
Ceterum Ludovico Rege Germaniæ & Ann. Bert.
Carolo Rege vigesima octava Julii eodem anno octingentesimo septuagesimo
Lotharii regnum inter se partientibus
Civitates Coloniensis & Trevirensis Regi
Ludovico obtigerunt.

§. III.

Carlomannus Attiniaci condemnatur. *ibid. Et to. 8.*

Mense Majo ejusdem anni Carolus At- *Conc. p. 1537*
tiniaci Concilium triginta circiter *p. 1841.*
Episcoporum ex decem provinciis con-
vocaverat, cui Archiepiscopi sex, Hinc-
marus Remensis, Remigius Lugdunen-
sis, Harduicus Vestuntinus, Wulfadus
Bituricensis, Frotarius Burdegalensis &
Bertulfus Trevirensis, Episcopi ex sola
Provincia Remensi decem interfuere.
In eo Concilio jubente patre lata est sen- *Ann. Met.*
tentia in filium Carlomannum, cui *870.*
necdum pueritiam egresso Clericalem *Hincm.*
Tonsuram conferri voluerat, & exinde *Opusc. 32.*
se præsentem ab Episcopo Meldensi Hil-
degario Diaconum ordinari coegerat.
Non nunquam etiam Diaconi officio in-
ter Missæ solemnia Evangelium recitans
functus fuerat, & complures Abbatias
a Rege patre acceperat. At ille rejecta
veste Ecclesiastica, quam invitus susce-
perat, copias in agros deducere cœpit,
spo-

Sæculum IX. spoliare Ecclesias, & facinora antehac
 A. C. 870. inaudita patrare. Tandem sapius mo-
 nitum Rex parens comprehendi, & in
 hoc Concilio tanquam Clericum judica-
 ri iussit, cumque præterea læsæ fidei at-
 que seditionis in patrem & Regem reus
 deprehenderetur, Rex Abbatii priva-
 tum Silvanecti carceri mancipavit.

§. IV.

Hincmarus Laudunensis submittitur.

In eodem Concilio Attiniacensi Hinc-
 marus Episcopus Laudunensis iterum
 tanquam Regi & Archiepiscopo suo Hinc-
 maro Remensi refractarius accusatus est.

Sup. Lib. LI. §. 26. 22. Cum duos libellos intra breve temporis
Conc. Duz. 2. c. 13. spatium ad Regem misisset, in quos con-
Narrat. to. 8 gesserat multos Canones ad defenden-
Conc. p. 1837 dam causam & appellationem suam, vi-
Hincm. ep. 35 tuperandum vero Archiepiscopum suum,
to. 2. p. 603. Hincmarus Remensis respondit, edita
 quinquaginta quinque capitulorum apo-
 logia, quam in Concilio Attiniacensi le-
 gendum obtulit. Tandem indulgit Rex,
 ut Episcopus Laudunensis secundum ri-
 gorem Judicii Ecclesiastici non habere-
 tur, edixitque, satis fore, si dato chiro-
 grapho Regi & Archiepiscopo obedien-
 tiam promitteret.

Episcopo Laudunensi id recusante,
 accedens ad eum Frotarius Archiepisco-
 pus Burdegalensis, cum a Sessione Con-
 cili

cilii reverteretur, quæsit, cur nollet subscribere, quandoquidem nullum subiret periculum? Ille respondit: *Non subscribam, nisi cognatus meus datis literis promiserit, se jura Ecclesie meæ nunquam læsurum.* Reposuit Frotarius: *Hoc tibi ille non denegabit.* Mox Frotarius cum Ænea Parisiensi, lateri admotus Hincmari Remensis, in loco Sessionis adhucdum Odoni Episcopo Bellovacensi apud fenestram colloquentis, dixit: *Frater noster Hincmarus vult Libello subscribere, (*) quo facto, pacem habebitis, prout patrem & filium, Archiepiscopum & Suffraganeum habere decet.* Hincmaro Remensi his auditis ingens gaudium proficiente, adducitur ipse nepos, qui apud aliam fenestram cum quibusdam Episcopis substitute rat. Is cum dixisset, cupere se solum soli colloqui, ait: *Non te suspectum habeo, sed Successorem tuum.* Tum avunculo ad nepotem dicente; dictaret ipse libellum, qualem vellet, hic rogavit, ut potius eum avunculus præscriberet.

Mox

(*) Observandum, quod Frotarius presserit silentio conditionem ab Episcopo Laudunensi adjectam, videlicet, si Remensis datis literis promitteret, se prærogativas Ecclesie Laudunensis non læsurum.

Sæculum IX,
A. C. 870.

Conc. Duz.

Sæculum IX.

A. C. 870.Causa Hinc-
mari Lau-
dunensis.

Mox redeunt ad fenestram, ubi Æneas & Odo stabant, dicitque Hincmarus Remensis ad Odonem; codicillos suos expromeret, & exararet literas, quibus Hincmarus Laudunensis subscriberet. Scripsit Odo, & postquam ambo Hincmari deinde, quæ videbantur, mutassent, Hincmarus Remensis dixit ad Odonem; hunc libellum nitide descriptum postridie afferret, cui Hincmarus Laudunensis in Concilio subscriberet. Sed Hincmaro Laudunensi respondente, se febre vexari, & cupere hac die ab isto negotio liberari, postridie ad reparandam valetudinem in lacerto venam solvi curaturus, Hincmarus Remensis ad Odonem; Regis Cancellarium adiret, pergamenum & atramentum peteret, atque illico scriberet. Ad Æneam tamen conversus, Hincmarus Laudunensis in paucis amicum, ait, melius utique se facturos, si rem in alteram diem differrent, Æneas Laudunensi persuasit, ut expectaret.

Altera luce, feria sexta decima sexta Junii anno octingentesimo septuagesimo Hincmarus Laudunensis, Concilium intrans, ore professus est, quod scripto continebat libellus in hunc modum: *Ego Hincmarus Episcopus Laudunensis deinceps fidelis & obediens ero Regi Carolo Domino meo pro Ministerii mei ratione*

tione prout Vasallus Domino suo & E-
piscopus Regi suo subditus esse debet. Sæculum IX.
A. C. 870.

Promitto etiam, recepturum me & ob-
secuturum privilegio Hincmari Metro-
politani Remensis secundum Canones &
Sacrae Sedis Decreta per Canones ap-
probata. Tum Odone ei calamum por-
rigente subscripsit coram omnibus, &
libellum sua manu Regi atque deinde a-
vunculo suo obtulit; ipse vero ab utro-
que osculum pacis accepit. Die se-
quente decima septima Junii, priusquam
Hincmarus Remensis in Concilium in-
grederetur, Harduicus Archiepiscopus
Vesuntinus ad eum dixit; Hincmarum
Laudunensem ipsi mittere paginam, ro-
gare etiam, ut subscriberet, & sibi secre-
to redderet. Remensis acceptam pa-
ginam recondit, eam, soluta Sessione,
lecturus; sed postea, nemine eam re-
poscente, indecorum fore credidit, si
Archiepiscopus libellum manu sua sub-
scriptum Suffraganeo suo dare compell-
leretur.

Cum Hincmarus Laudunensis hoc
modo Regi, & Avunculo suo satisfacis-
set, restabat, ut etiam lis cum Norman-
do aliisque privatis, querelas moventi-
bus, componeretur. Promisit Laudu-
nensis, se arbitrium trium Episcoporum,
quos ejus Avunculus nominaverat, A-
ctuardi Teruanensis, Ragenelmi Torna-
censis,

ep. 35.
p. 601.

ibid. p. 604.

Sæculum IX. censis, & Joannis Cameracensis receptu-
 rum. Jamque aliqui Articuli Rege præ-
 sente fuerant definiti, inter alios, pagum
 Pulliacensem Normando esse restitu-
 dum, cum Hincmarus Laudunensis, no-
 xia sibi hæc pacta existimans, priusquam
 dies ad componendos reliquos articulos
 præstituta advenisset, noctu & insciis om-
 nibus Attiniaco re infecta abiit. In-
 de secunda die Julii Diaconum ad Avun-
 culum suum misit cum Epistola, in qua
 dicebat: *Non te latet, me jam secundo
 ab Hadriano Papa fuisse vocatum, mi-
 que anno præterito Vermeria licentiam
 eundi Romam, sicut iterum nuper Atti-
 niaci petiisse. Itaque, obsecro te! fac
 ut a Rege hanc potestatem impetrem, quo
 possim voto edito, & Pontificis imperio
 satisfacere. Secus, scias velim, me contra
 ejus mandata tibi obsequi non posse.*

Hincmari
 fuga.

to. 2. p. 351.
 604.

p. 605.
 Conc. Duz.
 p. 1. c. 5.

Hincmarus Remensis nullas dedit
 responsorias, sed Rex datis literis redire
 jussit, cui ille per Epistolam respondit,
 excusans se, quod febricula laborans so-
 lis æstum ferre non posset. Ceterum,
 rursus Romam proficiscendi licentiam
 postulabat. Rex vero, præsentibus E-
 piscopis, ei rescribi jussit, rem esse ad-
 miratione omnino dignam, quod ad su-
 sciendam profectionem Romanam sa-
 tis valeret, & tamen ad se venire non
 posset.

Hic

Hic fuit exitus Concilii Attiniacen- Sæculum IX.
 sis, cumque Hincmarus Laudunensis se- A. C. 870.
 quente mense Septembri, & exinde sæ-
 pius ad Regem se contulisset, nullam
 amplius de itinere Romam suscipiendo
 mentionem iniecit, sed datis ad Papam
 literis contra Regem Carolum, & Ar-
 chiepiscopum Avunculum suum conque-
 stus est, inita societate cum Principe
 Carlomanno, qui auxilium Papæ con-
 tra parentem flagitabat.

§. V.

Prærogatiuæ Archiepiscoporum.

In Libro quinquaginta quinque Capitu- Cap. 6. p. 407
 lorum ab Hincmaro Remensi edito
 non nulli articuli sunt notatu digni. Ar-
 chiepiscopi prærogativas in hunc mo-
 dum exponit: *Jure Archiepiscopali mi-*
hi competit, te () ad Concilium vocare,*
& Judicium contra te instituire, si absis
sine justa causa; & si habeas, eam in E-
pistola ab aliquo Fratrum tuorum mihi
reddenda, aperias. Meum est in tota mea
provincia ad Concilium celebrandum lo-
cum deligere. Si quis accusare te velit,
coram me actionem moveat. Meum est,
tibi Judices dare, aut a te delectos ap-
proba-

(*) Sermo ad Hincmarum Laudunensem
 dirigitur.

Sæculum IX. probare. Si quis ordinetur Episcopus
A. C. 870. in provincia Remensi sine meo consensu,
 non erit Episcopus. Si tu, aut duo alii
 Episcopi tecum, communi sententiæ cete-
 rorum Episcoporum refragamini, senten-
 tia mea majore numero fulcita standum
 erit. Meum est in hac provincia Ordi-
 nationibus ceterisque Actis Ecclesiasticis
 auctoritatem legitimam tribuere.

Si Episcopus decesserit, meum est Ec-
 clesiæ vacanti Visitatorem dare, & Or-
 dinationis diem indicere. Si in electione
 voces in diversos spargantur, meum est
 digniorem eligere, & ante Ordinati-
 onem examinare. Tu mecum, sicut &
 ceteri, eum ordinabis, & post me in
 loco tuo literis, quas ab Ordinantibus se-
 accipit, subscribes. Decretis meis aut
 Expositionibus, ubi jussero, salva mate-
 ria Fidei, subscribere teneris, sine me
 vero nulli Decreto subscribes, nisi ad tuam
 Diocesim spectet. Si alienanda sunt Bo-
 na Ecclesiæ tuæ, consulere me teneris.
 A judiciis tuis ad me datur appellatio,
 & si quemquam excommunicaveris, sen-
 tentiam tuam in Synodo emendare te in-
 vito possumus. Mibi totius provincia
 cura incumbit. Omnes, quibus in ea ne-
 gotium Ecclesiasticum est, ad me conver-
 tere se debent. Si tibi causa est cum alio
 Episcopo, non licet tibi Judicem ex
 alia provincia expetere, sed si in mea di-
 censi

*sensio extiterit, ex alia provincia Judi- Sæculum IX.
ces advocare possum. Si actionem moveas A. C. 870.*
*adversus Episcopum alterius provinciae,
& causa in mea provincia definienda sit,
meum est Judices constituere. Meum est
cum meis Suffraganeis Quæstiones dif-
ficiles decidere, nec quosquam alios, ne
quidem Papam adire tibi licet; meum
enim erit, Papam consulere, si ad solven-
dum dubium tuum fuerit necessarium. Si
cogaris propter propria negotia longius
iter suscipere, licentiam a me petas. Non
licet tibi e provincia sine literis meis
exire, nec Clericum sine meo consensu ad
Regiam mittere.*

*In iis vero, quæ Canones definierunt,
non expectato Synodi tempore te corrige-
re mihi licet. (*)*

§. VI.

*Synodus septima in Francia non mul-
tum cognita.*

*In eodem Opere Hincmarus, cum Con- C. 20. p. 456.
cilia Generalia enumerat, tantummo-
do sex affert, & de septimo loquitur in
hunc modum: Falsum Concilium Uni-
versale a Græcis septimum dictum agit
de*

H h 2

() Quæ hodieque observentur, quæve ex-
oleverint, præsertim in Germania, ubi Episco-
pi Principatu terreno gaudent, Lector rerum
istarum studiosus facile dispiciet.*

Sæculum IX. *de imaginibus, quas alii destruendas, alii adorandas esse contendebant, tam hi quam illi a veritate aberrantes. Celebratum est Constantinopoli haud diu ante nostram ætatem sine Sacræ Sedis auctoritate, atque Acta Romam, postea etiam a Papa in Franciam transmissa. Hinc, Imperatore Carolo Magno regnante, in Francia, jubente Papa, Concilium Generale habitum, in quo Concilium Græcorum rejectum, & ex Scriptura & Traditione refutatum. Ex argumentis contra illud Concilium pugnantibus amplissimum volumen conscriptum est, ab Imperatore per quosdam Episcopos Romam missum, quod ego cum vix ex pueris excessivum in Palatio legi. Satis liquet, hic sermonem esse Hincmaro de Libris Carolinis, nec quidquam de illo Concilio nisi ex his libris ad ejus notitiam pervenisse. At vero obstupescendi locus est, istud Concilium anno 787. celebratum adhuc anno 870. ab Episcopo, quo nullus in Francia doctior, vix aliquatenus cognitum fuisse.*

Sup. Lib. XLIV. §. 47.

§. VII.

Hadriani II. Legati in Francia.

Ann. Fuld. 870.

Sup. n. 1.

Legati Hadriani Papæ & Ludovici Imperatoris primum se in Germaniam contulerunt ad Regem Ludovicum eius patrum, qui advenientes Aquisgrani in

conspectum admisit. A Papa missi ad-
 venerant Episcopi duo Cardinales Joan-
 nes & Petrus, atque alius Ecclesiæ Ro-
 manæ Presbyter, ab Imperatore autem
 Wibodus Episcopus & Bernardus Co-
 mes. Hi nomine Papæ admonebant Lu-
 dovicum Regem, ut Regnum Lotharii
 non invaderet; sed peractum erat ne-
 gotium, jamque illius regni partem pa-
 ctis acquisitam possidebat. Itaque nul-
 lam habens rationem eorum, quæ ipsi
 dicerent, aut Papa scripsisset, eos mi-
 nime moratus ad Regem Carolum di-
 misit.

Legati Regem Carolum in Monaste-
 rio S. Dionysii in Francia habuerunt, ubi
 eos in Festo ipsius Sancti nona Octobris
 inter Missæ solemnias excepit. Lectis
 Papæ Epistolis ad se & ad Episcopos re-
 gni sui datis, cum terribiles commina-
 tiones, quibus regnum Lotharii adire
 prohibebatur vidisset, haud parum of-
 fensus est; id tamen Legatorum & quo-
 rumdam procerum suorum precibus de-
 dit, ut filium suum Carlomannum e
 carcere Silvanectensi liberatum ad se vo-
 caret. Tum Legatos in civitatem Re-
 mensem præmissos ipse secutus Conven-
 tum Optimatum celebravit, quo soluto,
 Romanos dimisit. Ipse postea duos Le-
 gatos Ansegisilum Presbyterum & Abba-
 tem ad S. Michaelem, atque Laicum
 quem-

H h 3

quem-

Sæculum IX. A. C. 870. dam nomine Lotharium Romam missos dona pretiosa, Altaris velamen ex vestibus Regiis auro intexto confectum, & duas coronas gemmis fulgentibus splendidas deferre iussit.

§. VIII.

Hincmari Epistola vehemens.

*Opusc. 41.
to. 2. p. 689.*

Sup. n. 1.

Conjectura est, his Legatis Hincmarum Remensem amplissimam Epistolam, ad Papam scriptam, deferendam commississe, nempe responsum ad illam, quam Papa vigesima septima Junii ad ipsum dederat. Dicit Hincmarus, se mandatis Pontificis obtemperasse, quantum potuisset, refertque libellum a se duobus Regibus & trium regnorum Episcopis traditum, in quo reclamasset, postquam Reges Lotharii Regnum partiti fuissent. Hæc autem illius libelli summa: *Hadrianus Papa datis literis, quæ in manibus meis sunt, omnibus & singulis adjecta comminatione anathematis prohibet, ne occupent Lotharii regnum, jure hæreditatis ad Ludovicum Imperatorem devolutum; edicit, si Episcoporum aliquis in banc rapinam consentiat, eum non pro pastore se, sed pro mercenario habiturum. Mibi sigillatim præcipit, ut Reges ceterosque ab eo consilio revocem. Attamen affertur mihi nuncium, pacta inter Reges, qui se hæredes existimant,*
iura

inventa esse ad dividendum hoc Regnum. So-
 la hæc fœdera obstare, quo minus eorum
 subditi ad arma procurrent, quæ nisi
 serventur, fore, ut Francia bellis horri-
 dis, iisque, quæ defuncto Ludovico Im-
 peratore orta fuissent, gravioribus di-
 vexaretur. Ajunt præterea, Episcopos,
 principesque, irruentibus undique paga-
 nis, sine Rege salvos esse non posse, sibi-
 que a necessitate legem imponi, libere eligendi
 eum Dominum, qui eos adversus hostes
 tueri possit. Cum igitur utrinque me-
 terreat periculum, tum ne Papæ inobse-
 quens audiam, tum ne patriam maximis
 malis objiciam, non explorata ceterorum
 Episcoporum sententia nihil statuere au-
 deo, & rem tantam Papæ decidendam
 relinquo.

Post hoc insertum Hincmarus suam
 Epistolam ad Papam prosequitur in hunc
 modum: *Dicis, inter Episcopos Regni
 Caroli me Dignitate primum esse; sed
 ego non video, qua ratione supra ceteros
 Metropolitans positus sim, cum Canones
 quamlibet provinciam suis contentam esse
 jubeant. Dicis; Rege Carolo in propo-
 sito perseverante, mihi recedendum esse
 ab ejus communione, si in tua remanere
 cupiam. Ad istud non sine magni doloris
 sensu respondeo, quæ mihi suggerunt vi-
 vi Ecclesiastici & Sæculares, quibus hæc
 mandata celari non potuerunt. Ajunt;*

H h 4 nun-

Sæculum IX. *munquam rem bujusmodi Antecessoribus*
A. C. 870. *meis fuisse imperatam, quamvis ipsorum*
ætate bella civilia inter fratres, quin &
inter parentem & filios exarsissent, nec
modo te ipsum simile præceptum dedisse
Episcopis, Fratribus meis, quorum aliqui
proprii commodi causa Regem nostrum
in regnum Lotbarii advocasse diceren-
tur. Regi Carolo dicunt, qui ipsi a
consiliis sunt, Antecessorem tuum nun-
quam tanto rigore habuisse Lotbariam
manifesto & publico adulterii crimine
notatum; nec unquam Pontifices & san-
ctitate insignes Episcopos conspectum ty-
rannorum, aut Principum Hæreticorum
& Schismaticorum fugisse, quotiescu-
que ad eos verba facere opus fuisset, idque
temporibus Constantii Ariani, Juliani
Apostatae, & Maximi Tyranni obser-
vatum. Dicunt etiam; si solus a commu-
nione Regis nostri recederem, ceteros E-
piscopos, qui cum ipso communicant, a
communione mea recessuros, quod in pri-
mis Rex se perjurii & rapinae reum esse
negaret, nec in judicio convictus fuisset;
oportere autem etiam minimum homi-
nium privatorum, priusquam damnaretur,
vel confessum esse, vel convictum. ()*

Osten.

(*) Quidquid vero dicat Hincmarus, jure
 naturæ & gentium Ludovicus Imperator Fre-
 tris

Ossendunt nobis in historiae Scriptori- Sæculum IX.
bus; Pipinum, Caroli proavum, Regem A. C. 870.
fuisse consecratum a Stephano Papa, qui Sup. Lib.
 Hh 5 *in* XLIII.
 §. 14. 18.

tris sui Lotharii hæres legitimus erat, utpote
 unicus Lotharii Imperatoris superstes filius &
 primogenitus, haud dubie patris præferendus;
 unde Hadrianus Papa pro causa bona stabat.
 Sed Carolus Calvus Ludovici Pii filius natu mi-
 nimus ex secundis nuptiis, qui ad excitandas a-
 lendasque inter parentem, filios, fratresque ri-
 xas natus videbatur, non solum Lotharii de-
 functi nepotis regno, sed etiam Romano Im-
 perio imminet. Melius est illud argumen-
 tum; Regna sæpissime non tam jure sanguinis,
 quam belli aut populorum consensu vel dari
 vel eripi. Ita hodie Electores ex Domo Brun-
 svico-Hanoverana progeniti ab omnibus Euro-
 pæ Principibus, ob totius Anglicæ Nationis con-
 sensum, tanquam Legitimi Magnæ Britannæ Re-
 ges habentur, quamvis Stuartos Principes jure
 sanguinis huic Coronæ propiores esse nemo ne-
 sciat. Proximus morti esse Romæ nunciatur, septua-
 genario major, Jacobus Eduardus Jacobi II. Re-
 gis Magnæ Britannæ, causa Religionis Regno
 expulsi, filius, postquam a suo filio Henrico Car-
 dinali Eboracensi & Episcopo Corinth. Sacro
 Viatico fuisset munitus, a Summo Pontifice Cle-
 mente XIII. ægrotantem invisente Benedictio-
 nem Papalem accepisset, & filium suum natu
 majorem Carolum Eduardum, de quo multis
 jam annis, quid agat, aut ubi degat, nescimus,
 Hæredem scripsisset.

Saeculum IX. in Franciam ab eodem auxilia flagitatu-
 A. C. 870. rus venisset, & deinde Aistulphum Re-
 gem non excommunicatione Papæ, sed
 Pipini armis ad officium fuisse compulsum.
 Narrant Caroli gesta ævo Hadriani
 Papæ & Regis Desiderii, qui tunc Di-
 gnitatem Patricii, & Leonis tempore Im-
 peratoris nomen accepisset. Tum Imper-
 ratorem Caroli parentem † a Stephano
 Papa Remis coronatum, (*) atque Gre-
 gorium Papam, cum a Lotbario deceptus
 in Franciam invito ejus parente venisset,
 debito alias honore neutiquam exceptum
 recessisse. Enumerant, quot malis jam
 nunc Rex noster in regno Lotbarii reme-
 dium attulerit, & dicunt, Regna hujus
 mundi bello & victoriis, non vero Papa
 vel Episcoporum excommunicatione com-
 parari.

† Ludovi-
 cum pium.

Sup. Lib.
 XLV.

§. 21.

Exhortamur viros seculares, ut ora-
 tione ad Deum convertantur. Exponi-
 mus, quantam potestatem JESUS Christus
 Papæ & Episcopis contulerit. Respon-
 dent: Ergo vos Sacerdotes regnum &
 patriam sine armis nostris contra Nor-
 mannos & alios hostes sola oratione ad
 Deum defendite, si potestis; si vero ar-
 morum

(*) Non video, quid hæc omnia causam Ca-
 roli Calvi juvent contra Ludovicum juniorem
 Imperatorem, utique etiam ex iisdem Progeni-
 toribus, & quidem ex linea seniore ortum.

morum nostrorum auxilia non respuitis, Sæculum IX.
 sicut nos oratione vestra adjuvari peti- A.C. 870.
 mus, æquum non est, ut nobis terricola-
 mentis vestris exitium asseratis; sed po-
 tius Papam rogate, ut meminerit, se non
 simul posse Regem esse & Episcopum, &
 Antecessores ipsius causas Ecclesiasticas
 composuisse, non Reipublicæ, cujus cura
 ad Reges pertinet. Unde sequitur, Papæ
 non esse imperare, ut Regem recipiamus
 a nobis remotum, nos contra insipientes
 paganos, a quibus subito, & frequentissi-
 me laceessimur, defendere non valentem.
 Rogate Pontificem, ut consilium nos sibi ser-
 vos subjiciendi abjiciat; nam Franci su-
 mus. Pontificis Antecessores Majoribus no-
 stris hoc jugum non imposuerunt, quod nec
 nos pati possumus; sed didicimus ex Scri-
 ptura, pro libertate (*) nostra & Hæredi-
 tate nostra nobis decertandum esse usque
 ad mortem. Si Episcopus contra Cano- De Excom-
 nes agens Christianum excommunicet, po- municatio-
 testate sua abutitur, & neminem a vita ne.
 æterna excludere potest, nisi eum peccata
 sua arceant. Non expedit, ut Episcopus
 quemquam Christiani nomine privet, &
 Dia-

(*) Ab Hincmaro discant Protestantes, in-
 genuam libertatem & Communionem cum Ec-
 clesia Romana, extra quam per omnia sæcu-
 la nemo Orthodoxus habitus fuit, simul stare
 posse.

Sæculum IX. *Diabolo tradat, nisi omnis emendationis
A. C. 870. spes absit; nec ut quemquam excommu-
nicet non propter patrata crimina, sed
ut alteri regnum terrestre vel det, vel
auferat. Si ergo Papæ pacem conser-
vare curæ est, paternum affectum grati
agnoscimus; sed nova bella non excitet;
nunquam enim persuadebit, nos alia via
tutius posse ad Regnum Cæleste pervenire,
quam si in terra illum Regem recipi-
mus, quem nobis Cælum obtulerit.*

p. 696.

Hincmarus, postquam in eadem Epi-
stola tanquam ore aliorum protulit, qua,
si suo nomine scripsisset, cruda videri
potuissent, hæc addit: *Nullatenus fieri
posse existimo, ut societatem & præsenti-
am hujus Regis fugiam, in cujus regno
Diæcesis & provincia mea posita sunt,
nisi animam, & Ecclesiam meam periculi-
tari velim.* Tunc affert Textus ex

Sup. Lib.
XX. §. 46.

S. Augustino; non prius a communione
Peccatorum recedendum esse, quam Ec-
clesiæ judicio damnati fuerint. Et mox
subjungit: *A communione tua excludi
non debeo propter aliorum peccatum,
cujus ego particeps non sum. Testes mi-
hi sint Legati tui, me, ut mandatis tuis
obsequer, fortiter Regi & Proceribus
obstitisse, & quidem usque adeo, ut Rex
aliquando ad me; si in mea sententia per-
sisterem, futurum esse, ut quidem ad
Altare Ecclesiæ meæ cantare mihi li-
ceret;*

p. 697.

ceret, sed potestas tam in Bona quam in Sæculum IX.
 bomines, illi Ecclesiæ subditos, adimere- A. C. 870.
 tur. Plura comminati sunt nobis, quæ
 etiam, si Deus permittat, facturi sunt.
 Namque prævideo, nec verba mea, nec cu-
 juscunque hominis efficere posse, quo Rex
 noster & regni proceres a suo proposito
 dimoveantur.

Non occurrit mihi modus, quo præ-
 sentiam & communionem Regis & fami-
 liæ ejus possem effugere. Sæpe enim non
 in Diæcesim modo, sed & in civitatem
 meam venit cum magno procerum & mi-
 nistrorum numero, moratur, quamdiu
 lubet, quod viderunt Legati tui. Non
 possum relicta Ecclesia & grege meo au-
 fugere tanquam mercenarius, nec locum
 scio, quo me extra regnum reciperem. Er-
 go Regem apud me cum regia domo di-
 versantem ex redditibus Ecclesiæ alo; qui-
 pe dicit, id juris Antecessoribus suis
 fuisse, nec ipse illo cedere cogitat. Quam-
 obrem, Sancte Pater, noli talia præci-
 pere, quæ, si fierent, Ecclesiam & Rem-
 publicam inter se ita colliderent, ut æ-
 gerrime quies & pax revocaretur, &
 Ecclesia in extremum periculum Bona sua
 temporalia amittendi adduceretur.

Respondet deinde Hincmarus Re-
 mensis ad Epistolam a Pontifice anno su-
 periore octingentesimo sexagesimo no-
 no ad se datam, Hincmaro Laudunensi
 faven-

Sæculum IX. faventem, in qua Normandum excom-
A. C. 871. municari jubebat. Ostendit vera hujus
 facti adjuncta ad Papam non fuisse de-
 lata, & subjungit: *Ubi talia deinceps
 tibi exponentur, Decretis tuis hæc verba
 adde: si delata veritate nitantur. Et
 postea: Quod vero ad mandatum tuum
 spectat, quo vis, ut eundem Hincmarum
 cum tribus aliis Episcopis nomine Episco-
 porum omnium in Regno Caroli existen-
 tium Romam ad Concilium mittam; scias,
 non esse mihi potestatem, qua unum Epi-
 scopum ex mea provincia Romam aut alio
 sine Regis licentia mittam, aut ipse ego e
 regno ejus sine ipsius consensu excedam.*

§. IX.

Carlomannus excommunicatur.

Ann. Bert.
870.

Postquam Rex Carolus Remis versatus
 Legatos Papæ dimisisset, venit Lug-
 dunum, unde filius ejus Carlomannus
 relicto patre noctu aufugiens in Belgi-
 cam rediit, & collectis copiis pagos ex-
 pilare, in obsistentes dire sævire, vastare
 Ecclesias cœpit. Quamobrem Episcopi,
 in quarum Diœcesibus grassabatur, cen-
 suras in rebelles pronunciarunt, super-
 estque Epistola Hincmari Remensis in
 hac causa ad Remigium Lugdunensem
 & ejus Suffraganeos data, in qua dicitur
 se ipsum ter ad Carlomannum & facino-
 rum socios verba fecisse, & exhortatum
 fuisse

Opusc. 32. to.
2. p. 353. &
to. 8. Conc.
p. 1575.

fuisse ad resipiscendum, jamque quarto Sæculum IX.
A. C. 871.
misisse, qui seditiosos sui officii commo-
nerent. Tandem declarat, omnes con-
fiscos excommunicatos fore post undeci-
mam Martii anni illius octingentesimi
septuagesimi primi, nempe Dominica
secunda Quadragesimæ, nisi interea vi-
tam emendaverint. Ipsum Carloman-
num non excommunicat, quod ipsum
Parens iudicio Episcoporum provinciæ
Senonensis, in qua Clericus erat, refer-
varet.

At Papa ignarus, quæ in Francia age-
rentur, receptis Legatis, epistolisque
Carlomanni ad Sacram Sedem appellan-
tis, Regi Carolo scripsit in hunc modum:
*Præter alia peccata a te admissa, cum
alterius regnum invasisti, illud quoque
tibi objiciunt, quod ferocissima bellua
crudelior in propria viscera, nempe Car-
lomannum filium tuum, sævias, quem
non solum paterna gratia & beneficiis
privasti, sed e regno tuo ejecisti, atque
ut excommunicaretur præcepisti. Huic
igitur Bona sua & prærogativas red-
de, donec Legati nostri ad te perve-
niant, & quod justum est decernatur.*
Scripsit simul Proceribus, quibus prohi-
bet, arma in Carlomannum arripere, nisi
parerent, excommunicationem, anathe-
ma, & æternam damnationem commi-
natus. Episcopis autem prohibet, eum

Ep. 19.

ep. 30.

ex-

Sæculum IX. excommunicare, donec ipse hujus cau-
 A. C. 871. sæ cognitionem accepisset. Addit;
 ep. 31. Deum rixas inter parentem & filium
 permittere, ut in parente regni alieni
 rapinam puniret. Tres istæ Epistolæ 13.
 Julii anno 871. datæ sunt.

§. X.

Concilium Duziacense.

Conc. Duz.
p. 2. c. 20.

Ann. Bert.
 871.

Conc. Duz.
p. 2. præf.

Hincmarus Laudunensis ab Avunculo
 suo etiam sexto monitus, ut excom-
 municationi, in Carlomanni socios lata,
 sicut alii Episcopi provinciæ Remensis,
 subscriberet, varia obtendens recusavit;
 cujus obstinatione Rex offensus, & me-
 mor eorum, quæ anno superiore acta
 fuissent, in mensem Augustum Conci-
 lium Duziaci haud procul Mosomo in
 Diœcesi Remensi indixit, ubi Hincma-
 rus Laudunensis secundum Canones ju-
 dicaretur. Illum Archiepiscopus Re-
 mensis, sicut & alios Episcopos suæ pro-
 vinciciæ vocavit, data decima quarta Maji
 Epistola, in qua dicebat: *Certiozem te*
facio, quod illi, qui anno superiore ad
me querelas, contra te in Concilio Atti-
niacensi motas, detulerant, instent ite-
rum, ut venoventur; quare invito te, ut
venias ad respondendum bene paratus, &
bonorem Sacerdotii salves. Respondit
 Hincmarus Laudunensis edito amplissi-
 mo commentario, querelis contra Avun-
 culum

culum suum pleno, quem accusabat, quod nepotis sui proditor effecisset, ut custodia traderetur, & adhucdum vindictam coqueret, ob Rotadi causam, in qua ipse Avunculo non esset suffragatus. Tum Hincmarus Remensis respondit in hunc modum: *Hadrianus Papa dedit ad me Epistolam de negotiis nostræ provinciæ pertractandis, quam in Synodo legi oportet; quare nomine Papæ indico, veniendum tibi esse ad Synodum proximam, Duziaci quinta Augusti celebrandam.* Quippe Hincmarus Remensis nuper acceperat Pontificis Epistolam, in qua dicebat; delatum fuisse ad se, quod multos abusus in sua provincia toleraret, atque ad eos in Synodo emendandos excitabat.

Itaque Concilium Duziaci præstituta die congregatur. Aderant Episcopi viginti & unus, adnumeratis octo Archiepiscopis, quos inter Hincmarus primum locum tenebat. *Analeff. to. 4. p. 602.*

In illis occurrit Wulfadus Bituricensis, cujus Epistola una pastoralis ad Clericos & populum suæ Diœcesis data, & optima de vita Christiane instituenda documenta continens ad nos usque pervenit. In ea Communionem ter in anno accipiendam, in Natali Domini, in Paschate, & in Pentecoste suadet. *In- to. 8. Conc. p. 637.* ter Episcopus numerabatur Walterus Aurelianensis, a quo habemus Articulos

Hist. Eccles. Tom. XII.

II

ad

Sæculum IX. ad Disciplinam pertinentes, illis quos
A.C 871. Hincmarus Remensis, alique illius ævi

ediderunt persimiles. Ingilvinus Episcopus Parisiorum postremus nominatur, quippe plus anno uno effluere non potuerat, ex quo Æneæ successisset. Rex
part. 4. c. 8. Carolus quoque Concilio Duziacensi interfuit, obtulitque libellum, querelas contra Episcopum Laudunensem, qui necdum advenerat, continentem.

Part. 3. c. 2. Hincmarum vero Laudunensem accusabat Rex, quod fidem sæpius jurato sibi datam fregisset, quod seditiones contra se regem suum movisset, vi adhibita occupasset Bona, quæ ad Ecclesiam suam pertinere diceret, calumnias contra se ad Papam detulisset, usque adeo tandem Regi suo fuisset inobsequens, ut etiam armis arreptis obstitisset. Præterea de ejus simulata appellatione ad Sedem Romanam dicebat: *Ex quo Episcopus Laudunensis e Concilio Attiniacensi aufugit, ter diversis temporibus ad me venit, quin ullam mentionem faceret, quod Romam ire vellet, aut eo appellasset. Nunc vero quotiescunque lubet, eandem veniam recantat; vocari se a Pontifice, & eundi potestatem a me obtinere non posse.* Episcopi spatium temporis, quo ad Regis querelas responsa pararent, perierunt.

§. XI.

Sæculum IX.
A. C. 871.*Querelæ Hincmari Remensis.*

Hincmarus Remensis deinde suas etiam querelas in Commentario amplissimo, nam longus esse solebat, obtulit, qui tamen ad articulos sequentes contrahi potest: *Cum Hincmarus Laudunensis sine meo consensu Munus in Palatio exercendum suscepisset, & ego præsentem Rege id ipsum prohibuissem, ille nihilominus potentia sæculari suffultus officium retinuit. Præterea Abbatiam in alia provincia me invito impetravit, & utroque potitus est, usque dum Rex sibi refractario ea abstulit. Ad banc Abbatiam, quotiescunque lubuit, sine mea licentia pervexit, & tanta quanta voluit temporis mora ibidem permansit. Ad ordinandum Joannem Episcopum Cameracensem canonice vocatus non venit, nec Legatos nec Epistolas consensus sui indices misit; unde Ordinatio differenda fuit. Tandem cum bis citatus non responderet, coacti sumus sine ipso Ordinationem peragere.*

Tunc Archiepiscopus refert jurgia, inter Regem & Hincmarum Episcopum exorta, in causa Feudorum, quæ Episcopus quibusdam Vasallis eripuerat, & memorat primam excommunicationis sententiam, in illos latam, qui a Rege

Sæculum IX. missi veniebant; multo acrius vero

A. C. 871. guit sententiam secundam, qua totam

Dioecesim Laudunensem interdixerat

c. 5 6.7.8. Missam celebrare, baptizare infantes

pœnitentiam & Viaticum morientibus

ministrare, & sepelire mortuos prohibens.

c. 9. *Hac re ad me delata, inquit*

chiepiscopus, exhorruui, per literas

bisque monui, ut tam perniciosam

mabus censuram tolleret; sed impetru

c. 10. *non potui, ut obediret, quamvis in*

Ordinatione publice dato Chirographo

obedientiam mihi promiserit.

Ex oratione vehementi, qua Hinc-

marus Remensis hunc excommunicandi

modum vituperat, dispicitur, illo adhuc-

dum ævo Interdicta universalia, postea

frequentissima, fuisse ignota; etsi Inter-

dictis particularibus, ut supra notari

non nunquam locus esset. Tunc Hinc-

marus de nepote suo loquens profequi-

tur: *Fidem Regi juravit dato libello,*

subscripsit, suadentibus duobus Episcopi-

aliarum provinciarum, Venilone Rot-

magenfi & Aenea Parisiensi, me &

piscopis ceteris nostræ provinciæ inco-

sultis, sine quibus Canones præcipiebant

ei, ne cuicumque libello subscriberet.

c. 11. *Cupiens deinde se Jurisdictioni*

tropolitæ sui subtrahere Analecta ex Scri-

ptis Patrum Nicena Synodo antiquis-

ribus collegit, iisque nobis insciis subscri-

Sup. Lib.

XXXIV.

S. 53.

psit, & Clericos suos subscribere jussit. **Sæculum IX.**
 In illa collectione sæpius admodum absur- **A. C. 871.**
 dus est, ut cum dicit, Episcopus nullius **Sup. lib.**
 hominis judicio subjei, quod sibi solus **XXXIV.**
 Deus reservasset; item calumniatoribus **§. 53.**
 linguam exscindendam esse, vel caput am- **Hincmarus**
 putandum, cum tamen in eadem Collectio- **Remensis**
 ne has ipsas assertiones contrariis testi- **contra Lau-**
 moniis destruat, cum dicit, Episcopus a **dunensem.**
 Fratribus suis judicari oportere, & Ec-
 clesiam nunquam sanguinem humanum
 fundere. Præterea complura loca Pa-
 trum perfide mutavit. Exinde autem
 cum rursus alia Collectanea prioribus si-
 milia mihi Gundovillæ commoranti mi-
 sisset, jam tunc edito Scripto respondi, &
 iterum prolixius in quinquaginta quin-
 que Capitulis, quæ in Concilio Attinia-
 censi obtuli. Hincmarus Remensis non
 objicit nepoti suo, quod sua Analec-
 ta falsis Decretalibus repleverit, quia & i-
 pse veras a falsis non dignoscebat, & has
 sæpe in Scriptis suis allegabat.

c. 12.

c. 13.

c. 14.

c. 17.

Tum Hincmarus refert reliqua, quæ
 in Concilio Attiniacensi acta sunt, fu-
 gamque Hincmari Laudunensis, cujus
 prætextus inanes refutat, atque inprimis
 ejus appellationem ad Sedem Romanam,
 qua de re ait: *Quando ob sua errata cor-*
ripitur, ad Sacram Sedem appellat, &
potestatem sibi fieri postulat ad Limina
Apostolorum proficiscendi; quando autem

Sæculum IX. *Regem & Episcopos sibi indulgentes lo-*
 A. C. 871. *bet, nullam amplius de voto edito Romam*
eundi mentionem facit. Novum postea
 Hincmarus exponit delictum, quod nempe
 Laudunensis ea, quæ Attiniaci promississet,
 Subscriptionibus contrariis sub-
 verterit.

Sup. Lib. L.

§. 8.

to. 8. Conc.

p. 703.

ep. 34. to. 2.

p. 595.

ibid. p. 616.

Hincmarus Laudunensis, ut defenderet, jure factum esse, quod sententiam excommunicationis in reos tulisset, decima octava Julii Avunculo suo misit Excerpta ex Concilio Tusiacensi ante annos abhinc decem celebrato, ubi in primo Canone decernitur, ut Bonorum Ecclesiæ raptores excommunicentur, atque Viatico in morte & sepultura Ecclesiastica priventur. Hincmarus vero Remensis statim contra hæc Excerpta reclamavit, affirmans, hoc Decretum antiquis Canonibus adversum, quamvis & ipse cum suo Nepote illi Concilio interfuisset, nunquam ad suam notitiam pervenisse. Reposuit Laudunensis, se hoc Decretum ab Harduico Archiepiscopo Vesuntino accepisse, cumque Avunculus ejus diceret, aliud Exemplar Concilii Tusiacensis se habere, Episcopus Laudunensis rem explicavit in hunc modum: *Habeo apud me Epistolam, a te compositam, quam in Concilio legi jussisti, & recordor, quod ob ejus prolixitatem illi alteri Decreto breviori subscripserimus.*

Ad

Ad nos usque pervenit illud Decretum, ^{Sæculum IX.}
 quale Hincmarus Laudunensis citat, cum ^{A.C. 871.}
 Subscriptionibus Episcoporum, & Epi-
 stola Synodali separata, ab ejus Avun-
 culo concinnata. Nihilominus Hinc-
 marus Remensis etiam in Concilio Du-
 ziacensi omnibus viribus contendit, sup-
 positum esse hoc Decretum, & locus
 suspicandi foret, an bona fide id affir-
 masset, nisi ex omnibus Episcopis præ-
 sentibus, quorum complures illi priori
 Concilio interfuerant, nullus recla-
 masset.

Hincmarus Remensis contextum que-
 relarum contra nepotem suum prosequi-
 tar: *Duobus ferme mensibus postquam* ^{c.19.}
Attiniaco fugisset, per fraudes manda- ^{Sup. Lib.}
tum Principis impetravit, quo Sæculares ^{LI. 5. 22.}
judicium ferrent in iisdem causis, ad
quas decidendas ipse antea delegerat Ju-
dicēs Ecclesiasticos, & quas ex parte jam
desinierant, etsi Canones probibeant a Ju-
dicibus delectis appellare, aut Judices
sæculares, contemptis Ecclesiasticis adire,
aut denique forum Laici sequi, si ille Ju-
dicium Ecclesiæ subire consentiat.

Conqueritur deinde, quod Hincma-
 rus Laudunensis multoties monitus Ex-
 communicationis Decreto contra socios
 Carlomanni, quod tamen ceteri Episco-
 pi Provinciæ Remensis fecissent, subscri-
 bere nolisset. Tum respondet ad ea,

Sæculum IX. quæ sibi Hincmarus Laudunensis objiciebat, quod ipsum prodidisset, quod auctor fuisset consilii, ut Silvaci Laudunensis captivus detineretur, & ipse Remensis Excommunicationem Papæ contemneret. Ad hunc ultimum articulum respondet Hincmarus Remensis, esse putandam calumniam, & provocat Laudunensem ad contemptum hunc demonstrandum, si posset. Deinde, quid de Auctoritate Papæ credat, profitetur in hunc modum; *Pontifici Romano competere privilegium Primatus super omnes Mundi Ecclesias; quamvis enim omnes Apostoli, & per ipsos, omnes Episcopi, atque omnes Presbyteri, ligandi & solvendi potestatem accepissent, nihilominus eam S. Petro & Successoribus ejus modo singulari fuisse collatam. (*)*

Papæ Auctoritas.

Rursus

(*) Quid habent Protestantes, quod clarissimo Hincmari Remensis testimonio opponant? an forte non tota Ecclesia sed solus hic Archiepiscopus ista de potestate Romani Pontificis credebat? quin imo credibile non est, nullum Episcoporum, aut Scriptorum illius ætatis tam publicam de Romani Episcopi potestate professionem negaturum & oppugnaturum fuisse, nisi hæc fides totius Ecclesiæ fuisset. Etiam satis hic refutantur Fleurii Adversarii dicentes, nescio qua fide, quod mala fide ejusmodi testimonia pro Auctoritate Summi Pontificis silentio prætereant.

Rurfus de suo nepote dicit: *Petere a me ausus est per Archiepiscopum Venetionem, ut, nisi pacem in perpetuum abnuerem, igni librum traderem, quem de Excommunicatione ab ipso in suam Diocesim pronunciata scripsissem. Qua postulatione compellere me vult ad comburendam Scripturam & Canones, quibus librum illum implevi. Dicit, consensum suum, cum Attiniaci subscriberet, vi fuisse extortum, nec illo facto se obligari.* Ad istud refutandum Hincmarus Remensis omnia adjuncta Concilii Attiniacensis accurate refert, & probat, nullam ei vim illatam. Tandem dicit, jam ter vocatum contumaciæ reum esse pronuntiandum, & adempta spe appellationis secundum Canones condemnandum.

Hæ sunt querelæ Hincmari Remensis, in fine dicentis, nullatenus se privatas injurias vindicandi dulcedinem quærere, sed solummodo Dignitatem suam, & Ecclesiæ suæ Metropolitanæ jura salva esse cupere.

§. XII.

Acta in Concilio Duziacensi.

Postquam Episcopi per dies aliquot de- liberassent, quid ad Regis querelas esset respondendum, attulerunt articulos, seu potius collectionem Canonum, Legum, & textuum ex viris auctorita-

Sæculum IX.

A. C. 871.

c. 30. 31.

c. 32.

c. 33.

Pars III.

p. 1617.

Sæculum IX. te gaudentibus excerptorum, ex quibus
 A.C. 871. docebant, quam pœnam mereatur Episcopus, si criminum, quæ ipsi obijciuntur, perjurii, seditionis, rapinæ, calumniæ, vel etiam, quod Bona Ecclesiæ suæ diffraxerit, Regis voluntati obstiterit, ad arma proruperit, societatem cum rebellibus inierit, convictus fuerit. In hoc Scripto verba sequentia notatu digna mihi videntur: *Hincmarum, fratrem nostrum, si ea, quæ petebat, a Rege impetrare non potuit, causam primum ad Concilium suæ provinciæ deferre oportebat, cum Judicium sæculare non daretur, in quod Regem vocare posset. Quod si nos deinde, Actore & Reo præsentibus, causam nostra sententia terminare non potuissimus, ei literas nostras dedissemus, quibus munitus rei hujus cognitionem ad Sacram Sedem transtulisset.* Meminisse oportet, quod Scriptum istud Rege præsentente & audiente lectum fuerit.

*Pars. 4.
 p. 1632.*

Cum inter hæc Hincmarus Laudunensis Duziacum venisset, ter ritu judiciali citatur, ut in conspectum Concilii ingrederetur, Papæ mandata audiret, & ad ea, quæ Actores contra ipsum afferrent, responderet. Ille misit amplissimum Commentarium, & dixit, quod ad S. Sedem appellaret. At Legati a Concilio dixerunt: *Veni modo & causam tuam defende. Tum, si necesse fuerit, appella-*

appellabis. Ceterum nihil est, quod ti- Sæculum IX.
meas ne ob reverentiam cujuscunque bo- A. C. 871.
minis tibi nocëamus. Quoties autem ci-
 tabatur, Episcopus, Presbyter, & Diaco-
 nus provinciæ Remensis ad eum mitte-
 batur.

Aliquis etiam Parochus ruralis, no-
 mine Haimeradus, qui apud Episcopum
 Laudunensem erat, & ipsius nomine
 Commentarium in Concilio Attiniacen-
 si obtulerat, citatus est. Et hic quidem
 Presbyter Duziacum non venit, sed
 Hincmarus Laudunensis post tertiam ci-
 tationem obediit, & Concilium intravit.
 Tum Rex Carolus iterum obtulit que-
 relas, quæ Laudunensi audiente lectæ,
 ipsique traditæ ab Odone Bellovacensi;
 tempus quoque concessum, quo eas pen-
 saret, & responderet. Aliam deinde
 Epistolam Summi Pontificis Odo ei præ-
 legit, in qua Papa Laudunensem objur-
 gabat, quod Romam non venisset, ut
 promiserat, jubebatque, Metropolitæ suo
 obedientiam præstare.

§. XIII.

Responsum Hincmari Laudunensis.

Postridie Hincmarus Laudunensis ite-
 rum citatur, jubetur respondere ad
 Regis querelas, & Sabbato sequenti
 suam defensionem producere. Hac die
 elapsa rursus citatur, & monetur, com-
 menta-

c. 2.

c. 3.

sæculum IX. mentarios suos prius recipi non posse,
 A. C. 871. quam ipse causam dixisset. Tandem
 cum 14. Augusti secundo Concilium in-
 trasset, Hincmarus Remensis iussit, ut ad
 Regis querelas responderet. Tunc ve-
 ro Laudunensis exceptionem objiciens,
 c. 4. *omnibus Bonis meis, inquit, spoliatus
 sum; ideoque in hoc Concilio non respon-
 debo. Mox codicillos e sinu proferens,
 Textus de appellatione Episcoporum le-
 gere cœpit; sed dixit Concilium: Pri-
 mum responde ad ea, quæ tibi objiciun-
 tur, tum si necessarium fuerit, ad S. Se-
 dem appellare, aut libere cum Regis li-
 centia Romam ire poteris.* Hincmarus
 Laudunensis: *Omnibus bonis meis spo-
 liatus non respondebo ad ea, quæ objicitis.*
 Tum Concilio jubente, ut eos, qui ipsum
 spoliassent, nominaret, respondit: *Hoc
 noverunt Clerici isti, simulque Presby-
 teros & Diaconos Laudunenses, qui ip-
 sum comitabantur, digito ostendebat.*
 Reposuit Concilium: *Quid prohibet,
 quin ipse dicas? ætatem habes & loquendi
 licentiam.* Laudunensis: *Loquantur
 Clerici mei.* Ergo Presbyter Fagenul-
 fus, prius juramentum edere iussus, di-
 xit: *Verum est, quod Episcopo nostro li-
 bertas non sit de ulla re disponendi; cui
 Rex, viros nomina mihi, inquit, a quibus
 spoliatum dicis Episcopum tuum, atque
 ut leges statuunt, pœnas exigam.* Et Fa-
 genul-

genulfus: *Tu es ille vir, qui Episcopum* Sæculum IX.
A. C. 871.
spoliasti.

Tunc vero surgens Rex ad Concilium: *A vero alienum est, quod dicit hic Frater. Vocavi Episcopum Laudunensem ad hoc Concilium datis literis more Antecessorum meorum. Postea, cum certo scirem, homines liberos in regno meo, ipsi addictos, mihi esse infideles, scripsi comiti & præfectis meis; eos ad me mitterent. Sed Episcopus homines liberos, servosque arma capere jussit, quibus præfectis meis obsisterent. Præterea delatum fuit ad me, quod ad Concilium veniret cum omnibus suis, & armatis, non obstante, quod tam ipsi quam ceteris Episcopis præcepissem, ut paucis comitantibus venirent, quo reliqui eorum Vassalli ad arcendos a patria Normannos remanerent. Itaque Hincmaro præceperam, ne plures quam decem duodecimve viros præter Clericos & famulos ad Concilium adduceret. Rescivi autem postea, ipsum viris illis, qui mihi suspecti esse merebantur, fugæ consilium & auxilia suppeditasse thesauro Ecclesiæ onustis, quos ipse propediem secuturus esset, ne ad Concilium venire cogeretur. Quod ut probiberem nisi præfidiarios bis instructos mandatis, ut si venire vellet, eum libere iter facere sinerent, ubique autem, sed procul proficiscentem observarent,*

Carolus Rex
Episcopum
accusat.

Sæculum IX. *rent, ne illorum, qui aufugerant, vestigiis inherere possent. Ubi in banc urbem pervenit, diversorium, quod ipsi a suis paratum fuerat, adire primum noluit, cumque ei aliud prope Ecclesiam obtulisset, illud acceptavit, & mandata dedit, ut ejus sarcinæ custodirentur. Postea ad prius diversorium se contulit, quo etiam sarcinæ intactæ delatæ fuerunt. Quotiescunque vel ipse vel sui ad Ecclesiam procedere voluerunt, nemo eorum obstitit. En Clerici & Laici nobiles adstant, testes, quod vera loquar.*

Ergo testes a Rege producti audiuntur, Fagenulfus, ceterique Clerici Laudunenses, vera esse, quæ dicerent, cognoscunt; ac Episcopus Hincmarus datis responsis sibi non constabat, atque convictus est, quod illa ipsa die jussisset Irminonem Presbyterum suum calicem ex onyche auro & gemmis vestitum cum patena, a Rege Sanctæ Virgini Laudunensi dono datum, secreto accipere, ne inter sarcinas inveniretur. Quod etiam Reliquias, a Pardulo Antecessore suo Ecclesiæ donatas, inter alias crucem auream, gemmis splendentem, olim Reginæ Irmentrudis donum, & tandem chartas & monumenta Ecclesiæ suæ secum deferret.

Cum igitur Hincmarum Laudunensem urgerent, ad crucem reddendam, quam

quam apud se gestabat, dixit velle se eam reddere, si suus Metropolitae juberet. Tunc Hincmarus Remensis sagaciter praevidens, quod etiam se accusaturus esset, quasi eum spoliasset, dixit: *Non alia ratione tibi id praecipio, quam Canones statuunt.* Jussitque legi Canonem Concilii Antiocheni, in quo Bona Ecclesiae & Bona Episcopi diserte discernuntur. Tum Rex: *Hincmarus Laudunensis accensendus est pauperibus Episcopis. Cum enim consecratus fuit, nec obolum possidebat. Avunculus ejus ipsum alebat & sustentabat ex Ecclesiae Remensis redditibus.* Hincmarus Laudunensis respondit, agros se possedisse & servos. Sed Avunculus ejus edixit, omnia in potestate ipsius parentis & avi fuisse. Tandem Episcopus Laudunensis Crucem illam e sinu suo protractam reddidit Custodi, qui Ecclesiae suae thesauro praefectus erat.

Deinde cum Hincmarus Remensis juberet, ut responderet ad articulos sibi obiectos, dixit: *Non recipio judicium tuum. Sunt mihi causae, cur te Judicem recusem. Appello ad S. Sedem.* Hincmarus Remensis respondit: *Non est accusationi locus nec contra me nec contra quemcunque, priusquam hic causam dixeris. Postquam lata fuerit sententia, ubi e re tua videbitur, appellare licebit.*
Tunc

Saeculum IX.
A. C. 871.

Hincmari
Laudunensis
causa.

Sæculum IX. Tunc literæ Hadriani Papæ ad ambos
A. C. 871. Hincmaros iterum lectæ, & Episcopus
 Laudunensis antiquam crambem reco-
 quens ait: *Non respondebo ad quamcum-
 que accusationem in hoc Concilio, nec Me-
 tropolitam meum Judicem recipiam,
 quia ipso auctore Rex me carceri de-
 dit.*

Tunc autem surgens de sede sua
 Hincmarus Remensis ad Regem, rogo te,
 inquit, *Domine! profitere, an me Aucto-
 re vel consentiente Hincmarum custo-
 diae tradi jusseris.* Rex Deum invocans
 testem negavit, id Hincmaro Remensi
 conscio factum, & addidit: *Quin potius,
 nisi Avunculi ipsius reverentia cobibitus
 fuisssem, jam annis abhinc duobus procul
 a civitate Laudunensi in arctum carce-
 rem eum misisssem, cum ægerrime homi-
 nis insolentiam ferve posssem. Et nisi ego
 temerarium e manibus meorum eripuis-
 sem, e palatio meo abstractum turpiter
 mutilassent, aut verberibus affecissent us-
 que ad necem.* Hincmaro Remensi etiam
 Odonem Bellovacensem & Hildebaldum
 Sueffionensem obsecrante, ut edicerent,
 quæ de hac re scirent, coram Concilio
 testatum fecerunt, eum nullatenus fuisse
 conscium, cum Hincmarus Laudunensis
 custodiae daretur. Duo Presbyteri &
 duo Comites, qui tunc apud Regem e-
 rant, idem affirmarunt, dicentes, *ideo*
fuisse

fuisse missum in carcerem, quod promittere nolisset, venturum se ad proximum Concilium, & rumor serperet, eum relicta sua Ecclesia in potestatem Regis Lotharii transiturum. His auditis, visum est Concilio, Hincmarum Remensem istud a Laudunensi sibi objectum omnino diluisse, Hincmarum vero Laudunensem, calumniæ convictum, Metropolitanæ sui iudicium non posse subterfugere.

§. XIV.

Hincmarus Laudunensis damnatur.

Itaque Hincmarus Remensis, iubente Concilio, Laudunensi mandavit, ut accusationem a Rege traditam, quam habebat, manibus acciperet, & de articulo ad articulum responderet, atque illo detrectante iussit Archiepiscopus aliud Exemplar legi. Recitato primo articulo, quæsit Archiepiscopus, an Regi præstitisset iuramentum, quod ibi legebatur. Laudunensis dixit, sancta Evangelia, cum juraret, non adfuisse, & addidit; eam fidem se servasse, quam jurasset, & plura alia frivola, sexcenties Romam appellans. Tum per complures testes convincitur, quod illud iuramentum edidisset, & præterea plenissime demonstratum, vera esse, quæcunque Rex & Archiepiscopus contra ipsum attulerant. Ei igitur in Concilio insolentius clami-

Hist. Eccles. Tom. XII. K k tanti

Sæculum IX.
A.C. 871.

c. 7.

c. 8.

Sæculum IX. tanti Archiepiscopus secundo & tertio
A. C. 871. præcepit, ut ad objecta responderet, ac
 que ipso contumaciter recusante Archi-
 episcopus jubente Concilio cujuslibet
 sententiam exquisivit.

6. 9.

Harduicus Archiepiscopus Vefuntinus opinionem suam edixit in hunc modum: *Frater noster Hincmarus Episcopus Laudunensis verbis suis & scriptis atque testibus fide dignis convictus, quod seditionem moverit, secundum Canones Depositione dignus judicatur, salvo per omnia Sacræ Sedis judicio.* Frotarius Burdegalensis perjurii, & violatæ fidei, quam Regi juraverat, mentionem fecit. Wulfadus calumnias in Regem Romanusque delatas memoravit, cunctique Episcopi, postquam singuli aliquod speciatim crimen in eo vituperassent, deponendum esse arbitrati sunt. Hincmarus Remensis, hujus Concilii Præses, suam ultimam opinionem protulit, & sententiam in Tabella conscriptam pronunciauit, cui Episcopi viginti & unus præsentis, octo absentium Episcoporum Legati, & octo alii Clerici subscripserunt.

p. 1654.

Scriptit Concilium Hadriano Papæ Epistolam Synodicam, misitque Acta, petens, ut ea confirmaret, aut saltem, si hanc causam retractari vellet, id in Francia fieret, & interim Hincmarus Laudunensis excommunicationi subjaceret.

Præ-

Præterea dicunt Episcopi, nolle se Hinc-
 mari Laudunensis negotiis amplius tur-
 bari, si Papa eorum Judicium nullum
 declaraverit. Tandem commendant
 Papæ Actardum Nannetensem, electum
 Episcopum Turonensem, cui acta hujus
 Concilii deferenda commiserunt. Hæc
 Epistola sexta Septembris anno octingen-
 tesimo septuagesimo primo data.

Sæculum IX.
 A. C. 871.

§. XV.

Actardi Nannetensis Translatio.

Suo quoque nomine Hincmarus Remen-
 sis ad Papam dedit Epistolam, in qua
 statim causam Actardi tractans ad Papam
 dicit: *Curam ejus, ut jusseras, in me su-
 scipi, atque a Normannis & Britonibus
 e Sede sua ejecto, Rege & Suffraganeis
 meis consentientibus, concessi, ut Mona-
 sterio Episcopali in quadam Ecclesia pro-
 vinciæ meæ vacante fungeretur (erat hæc
 Ecclesia Teruanensis) sed Episcopus Ti-
 tularis esse non poterat, quia quæ de Bo-
 nis Ecclesiæ Nannetensis supersunt, a no-
 stra provincia multum distant, & Cano-
 nes duarum provinciarum Episcopum esse
 non permittunt. Nunc vero cum postu-
 letur a Clero populoque Ecclesiæ Metro-
 politicæ Turonensis, in qua baptizatus,
 Tonsuram accepit, & per omnes gradus
 usque ad Episcopatum promotus est, mit-
 timus eum tibi, Archiepiscopum Titula-*

p. 1658.

Kk 2

rem

Sæculum IX. *rem bujus Ecclesiæ ordinandum; (*) ita*
A. C. 871. *tamen ut ipso defuncto Successor ejus a*
Clero populoque eligatur, & ab Episco-
pis ejusdem provinciæ secundum Canones
ordinetur.

Hincmarus Remensis deinde ad cau-
 sam Hincmari Laudunensis transit, &
 postquam ejus facta vituperavit, & que-
 stus est, quod ipsum sæpissime sed fru-
 stra emendare conatus fuisset, addit;
 nolle, sibi quidquam commercii amplius
 cum illo esse, nec eum pro Suffraganeo
 suo habere. *Mallem, inquit, mihi ocu-*
lum, pedem vel manum adimi, quam cum
isto viro amplius in cassum jurgari.
Jamque hæc mea ætas est, ut mihi cogi-
tandum sit de pace, in qua mortem oppete-
tere cupio. Tandem Papæ rationem red-
 dit de causa cujusdam Parochi suæ Dice-
 cesis, nomine Trisingi, qui, cum inca-
 luisset mero, virum, interimere volens,
 vulnere inflicto debilitaverat. Is ab
 Hincmaro depositus, querelas ad Papam
 detulerat.

p. 1663.

Opusc. 45.
to. 2. p. 741.

His non obstantibus, quibus Hinc-
 marus in hac ad Papam Epistola Actar-
 dum commendat, ex alia Epistola exin-
 de scripta dispicitur, quod sibi hæc trans-
 latio

(*) Inde patet, Hincmarum credidisse, so-
 lius Summi Pontificis esse, Episcopos ab una
 Ecclesia ad aliam transferre,

latio non probaretur. Nam cuidam E-Saeculum IX.
 piscopo se hac de re consulenti respon- A. C. 871.
 dit; Episcopos non ideo constitui, ut
 honore, qui eorum Dignitatem comita-
 tur, & redditibus fruerentur, sed ut sa-
 lutem animarum curarent. Unde bo-
 nos pastores nunquam vel honorum vel
 divitiarum cupiditate permotos ab una
 civitate ad aliam transire oportere.
 Deinde de facto peculiari loquens ait;
 Actardum non debuisse deserere civita-
 tem Nannetensem, si ibi manere, nec ad
 Sedem Turonensem vocari, si alius æque
 dignus inveniri potuisset, utramque ve-
 ro Ecclesiam regere contra Canones ma-
 nifeste pugnare.

p. 749.

Ut deinde ostenderet, quod Actar-
 dus Nanneti remanere posset, si vellet,
 dicit; esse civitatem, in qua Comes re-
 sideret, ubi habitarent Clerici, Laicique
 tam nobiles quam ignobiles. In illa
 Diœcesi degere agricolas atque etiam
 Judæos. *Nunc vero, inquit, cur Epis-*
copus, nec uxore nec liberis oneratus
in illa civitate sustentari non possit,
in qua Comes, vir ligatus, conjugio,
familiam suam alere potest, etiamsi inter
paganos degat? & multo magis, quod
Episcopus ille a Regis munificentia Ab-
batias & prædia obtineat? Cum ergo di-
cit, Nanneti Clericos numero sufficien-
te existere, qui populum suo Ministerio

p. 769.

p. 756.

Kk 3

adju-

Sæculum IX. *adjuvent, sed abesse facultates, quibus*
A. C. 871. *Dignitas Episcopalis fulciatur, cupiditate abstractus loquitur. Quid autem, quoniam ipsum Dei consilia latent, si inter paganos illam civitatem incolentes, aliqui ad vitam essent prædestinati, qui forte, Episcopo verbum Dei prædicante, converterentur? Saltem manere deberet, & Tributum Infidelibus pendere, quod Patriarcha Jerosolymitanus, Christiani Cordubæ, & in aliis Hispania civitatibus faciunt. Ex hac Epistola cognoscimus, Hincmarum, cum Actardum commendasset, non ex proprio sensu, sed ex Regis jussu scripsisse.*

§. XVI.

Epistolæ Constantinopoli ad Papam datæ.

io. 8. Cont.
p. 1170.

Inter hæc Basilius Imperator & Ignatius Patriarcha Epistolas ad Hadrianum Papam, Abbate Theognosto, qui Romam revertebatur, deferente, dederunt. Patriarcha Papam consulebat de Lectoribus a Photio ordinatis, quorum maximus in omnibus locis Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjectis numerus erat, ad ordines altiores promoveri possent.

Sup. L. LI.
§. 30.

Petebat etiam, ut Papa dispensationem concederet Paulo Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophilaci, cui, a Photio in Archi-

Archiepiscopum ordinato, Papa quam-
 cunque Dignitatem, excepto solo Sacer-
 dotio, conferri permiserat. Rogabat er-
 go Ignatius, ut in Episcopatum restitue-
 retur.

Tandem petebat, ut Theodoro Me-
 tropolitæ Cariæ venia concederetur. E-
 go eum ordinavi, inquit, & propter me
 adversa multa tulit. Cessit quidem per-
 sequenti se Photio, sed pœnitentia facti
 subiit, & ignosci sibi petiit. Legati
 tui ei ministerium Sacerdotii interdix-
 erant, quod Decreto depositionis Ni-
 colai Papæ subscripsisset. Rogamus te,
 ut, si fieri possit, in his tribus articulis
 dispenses.

Imperator in sua Epistola eandem
 gratiam illis fieri petebat, (*) & signifi-
 cabat, sollicitum se teneri de fortuna
 Legatorum, qui Concilio præfuerant,
 cum de reditu eorum nullum accepis-
 set nuncium. Epistolis juncta erant do-
 na, miseratque Imperator pannos pre-
 tiosos, quorum nomina sunt admodum
 peregrina. Patriarcha autem, Evange-
 lium Græco latinum, accurate emen-
 datum, Stolum auro turgentem, Casu-
 lam

Kk 4

(*) Ex his luculentissime probatur, Eccle-
 siam Constantinopolitanam, Imperatore Græco-
 rum, & Patriarcha fatentibus, Romanæ fuisse
 subjectam.

Sæculum IX. lam elegantissimam, & Theriacam pro-
 A. C. 871. batissimam.

Pontifex Imperatori respondit in hunc modum: *Redierunt tandem Legati nostri, sed sero, & exhaustis plurimis periculis, expilati, sociis, quos habebant, amissis & interfectis, omni humano auxilio destituti. Omnes Probi ingemiscunt & mirantur, ipsis solis accidisse, quod antea Sacræ Sedis Legatis sub quocunque Imperatore nunquam, neque nullatenus securitatem proficiscutibus præstitisse. Postquam Legatos a nobis instantissime poposceras, saltem exemplum Michaelis Antecessoris tui sequi debebas, qui missos ad se, cum redirent, dato præsidio munivit. Sed & aliud fecisti, quo omnia pristina in S. Sedem benevolentia signa deleuisti; nempe, te protegente, Frater noster Ignatius Episcopum apud Bulgaros consecrare ausus est. Igitur obtestamur te, ut eum a Reginine illius regionis abstinere compellas. Secus ipse pœnam Canonice non effugiet, & illi, qui in eadem provincia Episcopi nomen assumunt, aut quicumque alius, deponentur; ut nihil dicam de excommunicatione, cui jam nunc subjacent.*

Hadrianus II.
 Imperatori
 Basilio.

Quod spectat ad tres illos articulos, in quibus, instante Ignatio, dispensari petis, ea quæ definita fuerunt, præsertim

de ordinatis a Photio, mutare non possu- Sæculum IX.
 mus, nisi partes in iudicio coram nobis A. C. 871.
 contenderint, & aliquod factum, quod
 antea ignorabamus, edoceant. Absit e-
 nim, ut quod veri affirmavimus, hodie
 negemus, & ab iis, quæ Nicolaus Pa-
 pa vel nos decrevimus, recedamus. Sed
 quæ nuper in Concilio Oecumenico sta-
 tuta fuere, rata maneant. Non est no-
 bis in more positum, pro lubitu Patrum
 nostrorum Decreta eludere, quod apud
 vos non nulli Præsules solent, qui Ca-
 nones Conciliorum vel Sacræ Sedis De-
 creta citant, ubi cuiquam alteri nocere,
 aut causæ suæ patrocinari cupiunt, ea
 vero premunt silentio, ubi ea sibi ad-
 versa & alteri parti faventia habent.
 Ceterum in Theognosto nulla culpa; quia
 nulli labori pepercit, quo ea, quæ petebatis,
 obtineret. Epistola hæc decima Nov.
 Indictione quinta, nempe anno 871. da-
 ta. Et bene hic notandum, quam con-
 stanter Pontifices dispensare recusave-
 rint, & Regulis canonicis immutabiliter
 adhæserint.

Responsum Papæ ad Patriarcham I-
 gnatium datum non habemus, sed alte-
 rius Epistolæ fragmentum, ubi Papa di-
 cit: *Scripsisti, Presbyteros & Episcopos*
nostros e Bulgaria ignominiose fuisse eje-
ctos, quamvis de re ista nullam canoni-
ce sententiam pronunciaveris; quippe

Sæculum IX. A. C. 871. *nunquam in hac causa ad iudicium vocati sumus. Si dicas, nos liti occasionem dedisse, cum Presbyteris Sedi Constantinopolitanae subjectis prohibuimus, ne munere Sacerdotali fungerentur, non negamus. Nempe tales erant, qui cum Photio communicabant, & quos bodieque non in Bulgaria modo, sed etiam in Ecclesia universa ab omnibus Sacris suspendimus. Tu quoque, cum te istud non lateret, eos in Bulgaria tolerare non debebas. Præterea ad nos delatum est, quod plura alia contra Canones moliaris, speciatim, quod non obstantibus Decretis ultimi Concilii e Laicis Diaconos subito ordinaveris. An nescis, Photii ruinam inde initium duxisse?*

*Sup. Lib.
LI. §. 48.
vit. Hadr.
in fi.*

His Papæ querelis illud causam dederat, quod, post Colloquium Constantinopolitanum de Bulgaris habitum, Legati Orientis & Græci illos ad ejiciendum Presbyteros Latinos & recipiendum Græcos permovissent. Bulgari itaque Grimoaldum Episcopum Romanum dimittunt, qui divitiis onustus, sine Papæ licentia discedens, amplam Regis Bulgarorum Epistolam attulit. In ea Rex factum istud excusabat, iudicio Legatorum, qui Concilio præfuerant. (*)

(*) Denique, in hac causa etiam, fraudibus Græ-

Grimoaldus vero dicebat, se a Bulga-^{Sæculum IX.}
ris fuisse pulsum; quamvis hujus rei in ^{A. C. 871.}
Epistola nulla fieret mentio, & Presby-
teri itineris socii faterentur, se nec a
Græcis, nec a Bulgaris pulsos, sed a Gri-
moaldo fuisse deceptos. Unde gravis
suspicio in eum cecidit, quod auri ful-
gore occæcatus Sanctum Ministerium
prodidisset.

§. XVII.

*Bulgari Ecclesiæ Constantinopolitanæ
subjiciuntur.*

Illam igitur tempestate factum, quod Bul-
gari, hortatu & donis Basilii Impera-<sup>Const. in
Basil. n. 95.
p. 210.</sup>
toris deliniti, Archiepiscopum Græcum
receperint, & plurimos Episcopos in re-
gione sua ab eo ordinari passi fuerint.
Permuli quoque Monachi illuc missi, qui
rudes instruerent. Itaque Religio Chri-
stiana in illis partibus confirmata est, sed
Ritu

Græcolorum, ab ingenio suo raro diverten-
tium, tam Rex & Bulgari, quam Romani, de-
cepti.

Est autem Res historiæ notissima, Jurisdi-
ctionem in Illyrico peculiarem Romanis Ponti-
ficibus fuisse acquisitam diu ante, quam Epis-
copi Constantinopolitani tam late dominaren-
tur. Ad omnia Græcorum & Orientalium ar-
gumenta responderunt Legati Pontificii in Col-
loquio Constantinopolitano. Sup. Lib. LI.
N. XLVIII.

Sæculum IX. Ritu Græco, & Bulgarorum Ecclesia Jurisdictioni Patriarchæ Constantinopolitani subjecta, cui exinde adhæsit. Ceterum dubitandi non est locus, quin primus hic Bulgarorum Archiepiscopus ille fuerit, cui Petrus Sículus suam Manichæorum historiam inscripsit.

§. XVIII.

Historia Manichæorum Petri Siculi.

*Petr. p. 2. 72.
Sup. Lib.
XLVIII.
S. 25.*

Petrum Siculum Basilius Imperator Tibricam seu Tephricam, principalem Manichæorum in Armenia Sedem, miserat, de captivis permutandis tractaturum. Agebatur tunc annus Basili cum duobus filiis Constantino & Leone regnantis secundus, nempe octingentesimus septuagesimus primus, quo tempore Chrisocheris Tibricæ rerum potiebatur. Petrus autem, novem mensibus ibi versatus, omnia, quæ ad Manichæorum seu Paulicianorum Sectam pertinebant, frequentissimis colloquiis, tam cum ipsis quam cum Catholicis, apud Manichæos degentibus, studiose exploravit. Illud quoque ejus solertiam non effugit, eos in Bulgariam suæ Sectæ homines missuros, qui in illa regione Christianos perverterent, quia credebant, Neophytos facillime suis erroribus imbui posse. *Quippe, inquit Petrus, similia tentare solent, & lubenti animo mag-*

gnos labores atque pericula ad propagandam doctrinam suam subeunt. Sæculum IX.
A. C. 871.

Quamobrem Constantinopolim reversus scripsit Manichæorum Historiam, eamque Archiepiscopo Bulgariæ dedicavit, quo ipsum ab insidiatoribus cautum redderet.

Hujus viri timorem non vanum fuisse eventus docuit; nam Manichæorum Hæresis, in Bulgaria disseminata, altas radices egit, indeque in reliquas Europæ partes, ut suo tempore videbimus, propagata est.

Historiæ auctor in libri exordio dicit, tutissimum esse, si rudes contra hos hæreticos non disputent, & ad eorum quæstiunculas non respondeant, sed fileant, & fugiant. Unde necessarium, ut istud hominum genus novissent. *Nihil difficilius, inquit, quam eorum insidias evadere; quia ubique textus S. Evangelii & S. Pauli crepant & versatissimus in Scriptura sit, oportet, qui eorum fraudes detegat. Ubi colloqui incipiunt, doctrinam morum puram, & fidem Catholicæ fidei consentaneam profitentur. Docent Sanctam Trinitatem, & negantes anathematizant. Dicunt, Dominum Nostrum ex Virgine carnem sumpsisse, & anathematizant illos, qui non omnes Incarnationis proprietates confitentur. Sedita solo ore proferunt, & in corde alia* Manichæi.

p. 6.

cre-

Sæculum IX. credunt. Facile eo adduci se sinunt, ut
A.C. 871. *Maneti & Discipulis ejus anathema dicant, quia alios Magistros habent, Manete multo pejores. Tandem pro diversitate locorum, temporum, personarum Chamæleonti similes, quo facilius decipiant, omnes formas induunt. Si deinde habeant aliquem, qui eorum somnia auscultet, paulatim sua Mysteria aperiant, quæ ne quidem omnibus Sectæ suæ hominibus, sed paucis tantum, qui ipsi probatissimi videntur, communicant.*

Tunc Petrus Manichæorum doctrinam explicat, in sex articulos redactam. Primo, duo ponunt principia, Deum bonum, & Deum malum. Posterior est Auctor & Dominus hujus mundi, alter autem futuri Sæculi. Quando nihil dissimulant, dicunt, hac proprie doctrina se a Romanis separari. Nam hoc nomine (*) nos designant, & se solos Christianos appellant. Nempe, inquit, vos in Auctorem mundi creditis; nos vero in illum, de quo Dominus in Evangelio dicit:

(*) Cur Manichæi isti omnes alios Christianos tam Orientis quam Occidentis, etsi primitus Fides ab Oriente in Occidentem delata sit, Romanos appellant, nisi quod scirent, Christianos omnes tam in Oriente quam in Occidente Romanum Episcopum tanquam Ecclesiarum omnium visibile Caput venerari?

cit: Nunquam audivistis vocem ejus, aut Sæculum IX.
speciem ejus vidistis. Secundo, Sanctam A.C. 871.
Virginem oderunt, quam ne quidem pia-
rum feminarum numero accensent. Di-
cunt, Dominum nostrum non ex ea fuisse
formatum, sed corpus suum de Cælo at-
tulisse; Mariam vero, postquam eum pe-
perisset, alios liberos ex Josepho in lucem
edidisse. Tertio, Communionem Myste-
riorum terribilium Corporis & Sangu-
inis Domini nostri rejiciunt, & dicunt,
quod Dominus in Cæna Discipulis suis
dedit, non fuisse panem & vinum, sed
ipsis verba sua modo Symbolico tanquam
panem & vinum dedisse. Quarto, Cru-
cis figuram abominantur, & mille con-
tumeliis insequuntur. Quinto, librorum
Veteris Testamenti nullum recipiunt;
namque Prophetæ ipsis impostores & præ-
dones sunt. Sed recipiunt quatuor Ev-
angelia, S. Pauli Epistolas quatuordecim,
Epistolam S. Jacobi, S. Joannis Episto-
las tres, unam S. Judæ, & Acta Apo-
stolorum secundum omnia verba, qualia
nos habemus. Doctoris quoque sui Sergii
aliquas Epistolas magni faciunt. Sed
duas Epistolas S. Petri averfantur, &
contumeliis insectantur. Sexto, Ecclesiæ
Presbyteros damnant, ob nominis um-
bram, quia nempe in Evangelio legitur,
quod Seniores, Presbyteri, contra Do-
minum adstiterint.

Tum

Sæculum IX.

A. C. 871.

*Sup. Lib.**VIII. §. 10.**Petr. p. 34.**p. 40.**Sup. Lib.**XLV. §. 54**55.**Const. in Ba-
sil. n. 37.**c. 40.*

Tum Petrus Siculus Historiam Manichæorum textit, initium ducens a S. Cyrillo Jerosolymitano, ut suo loco retulimus. Illa deinde narrat, quæ S. Epiphanius & Socrates Historiæ Scriptor habent, tumque historiam suam particularem orditur, quam a Regno Constantini, vel potius Constantis, Heraclii nepotis, repetit, & ad sua usque tempora deducit. In diversis Historiæ meæ locis quæcunque alicujus momenti mihi esse videbantur, ex libro Petri Siculi excerpti; quippe unicus Scriptor hic est, qui nos, qua ratione tam veterum quam recentiorum Manichæorum res cohæreant, edocuerit. Hæc vero notatu maxime digna esse, infra videbimus.

Cum Chrysocheris Manichæorum in Armenia Princeps, prudentiæ & fortitudinis fama inclytus, Romanorum fines infestaret, & captivos abstraheret, Basilius Imperator sub ipsa regni auspiciâ exercitum in hosticum ducit, & Chrysocherim primo successu ferocem compellit, Tephricæ, quæ regni sui caput erat, mœnibus sese includere. Quia vero intra breve temporis spatium civitas illa superari non potuit, Imperator lenta obsidione fatigatus, deficiente annonâ militem abducere coactus est. In alterius anni expeditione Arguthum aliaque Manichæorum oppida igne vastavit, &

Con-

Constantinopolim reversus Deum oravit, Sæculum IX.
 ne se ex hac vita eriperet, priusquam A. C. 871.
 Chrysocheris caput tribus telis perforasset. 6. 41.
 Voti damnatur anno sequente; 6. 42.
 nam cum exercitus ejus pars in Manichæos irrupisset, edito militari clamore:
Sancta Crux vincit, hostis profligatur
 & Chrysocheris ex acie fugiens interficitur. Mittitur postea occisi caput ad
 Imperatorem, cui nihil facilius fuit, quam
 illud tribus sagittis trajicere & sic voto
 suo satisfacere. Manichæi hoc bello debilitati quidem, sed non contriti sunt.

§. XIX.

Convertuntur Russi.

Sub idem tempus, nimirum, imperante
 Basilio, & Ignatio Sedem Constantinopolitanam tenente, Russi convertuntur,
 Gens ferox & impia, cujus crudelitatem Græci sub Imperatore Michaelē
 experiri cœperant. Hos Basilius missis *Const. in*
 plurimis muneribus ex auro, argento, & *Basil. 96.*
 serico sibi conciliatos ad fœdera ineunda *Sup. Lib. L.*
 invitavit; mox pace firmata, permisit, *§. 11.*
 ut baptizarentur, & Archiepiscopum ab
 Ignatio Patriarcha ordinatum reciperent. Cum ille ad Russos pervenisset,
 sequente miraculo fidem & auctoritatem sibi comparasse fertur. Russorum
 Princeps totius nationis Comitia convocaverat, sedebat ipse & Seniores, Princi-
Hist. Ecclesiast. Tom. XII. L. l pi

Sæculum IX.
A C. 871.

pi a consiliis, superstitionis a Majoribus acceptæ tenacissimi, & deliberabant, an ea relicta Religionem Christianam sequi expediret. Advocato in cœtum suum Archiepiscopo interrogant, quam doctrinam afferret. Ille ostendens librum Evangelii, aliquot miracula a Jesu Christo patrata, & etiam non nulla ex Veteri Testamento enarrat. Respondent Russi: *Nisi ejusmodi miracula viderimus, forsan tale, quale nobis de tribus pueris in fornace retulisti, benevolos auditores non habebis.* Archiepiscopus dixit: *Quamquam non licet tentare Deum, nihilominus, si serio ad eum vultis accedere, petite, quodcumque volueritis; idque propter fidem vestram fiet, etiam si nos tanto beneficio indigni simus.* Petunt ipsi, ut ille ipse liber, quem Archiepiscopus manu tenebat, in rogam accensum projiceretur, promittentes, credituros se, si non combureretur. Archiepiscopus levatis in Cælum oculis manibusque ait: *Domine Jesu! ostende gloriam Nominis tui populo isti.* Moxque in flammam conjicitur Evangelii Liber, cunctis per complures horas rei eventum expectantibus. Tandem extinguunt ignem, & Liber illæsus, nequidem adustis extremis partibus aut viculis solutis extrahitur. Barbari attonitis

nitis similes adstant, & tanto prodigiosæ æculum IX.
excitati Baptismum petunt. A. C. 871.

§. XX.

Photius querulans.

Interea Photius exul & captivus data ad *Epist. 97.*
Basilium Epistola querelas effudit in
hunc modum: *Audi me, Auguste, clem-*
mentissime Princeps! non jam te mora-
bor, revocando tibi in memoriam vete-
rem nostram amicitiam, nec promissa, nec
juramenta tua terrifica, nec Sacram un-
ctionem, nec coronam tuam, nec Sacra
Mysteria, quæ de manibus meis accepisti,
nec adoptionem spiritualem filii tui; hæc
omnia silentio prætereo, sed solum illud,
quod jura communia humanitatis nemini
denegant, a te spero, petoque. Omnes
Græci, Barbarique vitam illis adimunt,
quos morte dignos putant, & condemnant;
quos vero vivere sinunt, non eos fame
& sexcentis aliis cruciatibus lente mori
compellunt. At ego vitam dego ipsa
morte tristiore, captivus, rebus omni-
bus spoliatus, propinquorum, amicorum,
servulorum, & omni humano auxilio de-
stitutus. Attamen, cum Divinus Pau-
lus () vinctus traberetur, amici solatium*
afferre non probibebantur, & quamvis

L 1 2 duce-

(*) En, alterum Sanctum Paulum Apo-
stolum!

Sæculum IX. A.C. 871. *duceretur ad mortem, a quibusdam In-*
delibus Jesu Christi hostibus refocilla-
tionem accipiebat. In me novum pro-
pus supplicii genus excogitatum; nam,
quod nobis in vita charissimum, libros
abstulistis. An ideo, ne Verbum Dei
perciperemus? Quin potius, si mala per-
petramus, dandi nobis fuissent plures li-
bri, & magistri etiam, a quibus erudi-
remur; si vero nihil mali facimus, cur
affligimur? Nunquam vir Catholicus his
atrociora ab Hæreticis passus est. Tum
affert exemplum S. Athanasii, S. Joannis
Chrysoctomi, aliorumque usque ad S. Ni-
cephorum, quem Leo Armenus perfe-
cutus fuerat. Queritur deinde, quod
Ecclesiæ & Hospitia a se ædificata de-
struerentur; unde ipsius inimici ei salu-
tis æternæ subsidia adimere velle vide-
rentur, cum tam libros, e quibus do-
ctrinam hauriret, quam peccata sua re-
dimendi remedia subtraherent. Tau-
tillum solummodo vitæ, inquit, nobis ideo
relinquitur, ut mala nostra sentire pos-
simus. Itaque, quæcunque in morte na-
tura nostra horret, experimur, unicum
autem, quod in morte invenitur solatium,
nempe malorum finis, nobis non conce-
ditur. Hæc tibi serio pensanda, Augu-
ste, & si tua te absolvat conscientia, pe-
nas bis etiam graviores a nobis exige, se-
autem proprium judicium te damnet, noli
expe-

expectare, dum ad illud Tribunal deducaris, ubi omnis pœnitentia seua & inutilis est. Etsi Imperator sis, cogita, te simul hominem esse, infirma carne, sicut privatum quemque, circumdatum, & omnibus esse unum Dominum, unum Creatorem, unum Judicem. Non peto a te Dignitates, non gloriam, non prosperitatem, sed, quod barbari mancipiis suis non denegant, ut mihi vel vitam saltem morte non acerbiorum, vel celerem mortem dones.

Scripsit quoque Photius Bahani Patricio in hæc verba: Olim Romani & Græci, ne dicam, Christiani, cum hostes suos infensissimos torquerent, intra certos tamen limites sæviebant. Barbari, cum reos puniunt, modum tenent, quin aliquod ferarum genus miseris parcere legitur. Interim verum mearum status, in quem me coniecisti, tu, inquam, ceteris omnibus humanissimus, morbi mihi causa fuit, quocum uno abhinc mense conflictor. Indigeo medico, sæpe rogatus es, ut eum ad me invisere permitteres, & tamen, ubi Humanitas? ubi Christiana lenitas? rem tantillam non permisisti. Necdum a me ipso impetrare possum, ut te barbarum, aut ferocem belluam appellem; tu ipse perpende, qui contra me supplicia exquisitissima & sub sole nova invenisti, quod denique nomen moribus tuis conveniat, non enim te Christianum, non Romanum,

Sæculum IX.

A. C. 871.

ep. 114

Photius ad
Bahanem.

Sæculum IX. *manum, non Græcum, non Barbarum,*
A. C. 871. *non crudelem belluam dicere possum. Si*
vero morbus me confecerit, scito, me eo
clariorum de te victoriam reportaturum,
& mortem mihi tua improbitate illatam,
æternum sevitiæ tuæ monumentum futu-
ram. Hæc mansuetudo, hæc patientia
 in ærumnis Photii Confessoris, si Diis
 placet, fuit.

sp. 174.

Eadem dictio hyperbolica & acerba
 in pluribus aliis Photii Epistolis depre-
 henditur, præsertim in illa, quam amplis-
 simam ad suæ factionis Episcopos dedit.
 Est hæc apologia contra objecta sibi a
 quoquam, cujus nomen premit silentio,
 quia, inquit, magis salutaria solent esse,
 quæ dantur monita, si nemo nominetur.
 Queritur, quod calumniator ille, etiam
 suas cogitationes scrutetur, & accuset,
 ipsum usque adeo jam a sana ratione de-
 stitui, ut Deum & Leges contemneret,
 atque Ecclesiam proderet. Nempe Pho-
 tius dicebatur consilia agitare, qua
 ratione Papæ & Ignatio reconciliaretur.
 Illud quidem verum est, inquit, me tot
 malis premi, ut non esset obstupescendi
 locus, si in amentiam incidere. Tum
 cunctas quas patitur ærumnas patheti-
 ce describit, & addit, amicum illum, a
 quo prodicionis in totam Ecclesiam ac-
 cusabatur, persecutorum suorum om-
 nium atrocissimum esse, & quantacum-
 que

p. 240.

que arte benedicendi valet, eam omnem Sæculum IX.
 ad ruborem ab ipso excutiendum, & A. C. 871.
 pœnitentiam eliciendam adhibet. *Non*
miror, inquit, me in adversis ab omnibus
deseri, quamvis unamecum veritatem læ-
di necesse sit; sed intolerabilius est, quod
dicat aliquis, me culpa mea deseri. Po-
 stea refert, tanquam bonæ causæ argu-
 mentum & miraculum evidens, quod p. 255.
 nemo in turbidissima tempestate, nec
 eximius, nec modicus, nec Episcopi ma-
 gnarum vel exiguarum civitatum, nec
 rudes nec sapientes, nec eloquentes, nec
 pii, nemo denique, tempori cesserit &
 torrente contrario abripi se passus fuerit.
 Nec illud negari potest, quod non plu-
 res, quam centum illi Episcopi a Metho-
 dio & Ignatio ordinati octavæ Synodo
 subscripserint. Nam Photius astuta in-
 dustria effecerat, ut omnes, numero plu-
 res quam trecenti, ipsius partibus adhæ-
 rerent. Tandem mollius loquitur, &
 verbis, tenerrimum affectum sapienti-
 bus, illum, a quo offensus fuerat, de-
 mulcere conatur; deinde sermone ad
 Episcopos directo hortatur ad constan-
 tiam. Ultimo, eos pro Imperatore pre-
 ces ad Cælum fundere jubet. p. 257.

§. XXI.

Litteræ Papæ in Franciam missæ.

Cum Actardus, electus Archiepiscopus

L 1 4

Turo-

Sæculum IX. Turonensis, Acta & Epistolas Concilii
 A. C. 871. Duziacensis, atque etiam Regis Caroli
 detulisset, Hadrianus Papa Electionem
 quidem ejus confirmavit, sed Senten-
 tiam, qua Hincmarus Laudunensis da-
 mnatus fuerat, non approbavit, quod
 ex ejus Epistolis, una ad illius Concilii
 Episcopos, altera ad Regem datis, dispi-
 citur. In Epistola ad Episcopos dicit,
 se, ut eorum desiderio satisfaceret, E-
 piscopum Actardum Metropolitanam Car-
 dinalem Ecclesiæ Turonensis constituisse,
 atque ut ejusmodi Episcoporum Trans-
 lationibus auctoritatem conciliet, Anthe-
 ri Papæ falsam Decretalem citat. His
 adjicit, Actardo in ea, quæ de Bonis Ec-
 clesiæ Nannetensis superessent, domi-
 nium conservari, atque ipso luce fruen-
 te nec uni nec alteri Ecclesiæ alium E-
 piscopum præfici posse; ipso autem fa-
 tis functo, Archiepiscopum Turonensem
 secundum Canones eligendum esse, &
 a Suffraganeis suis ordinandum. Præ-
 terea, si Ecclesia Nannetensis aliquando
 sua recuperaverit, istam conjunctionem
 ad tempus concessam ei nocere nullate-
 nus posse, sed tunc postliminio Episco-
 pum proprium ibi esse consecrandum.

De causa Hincmari Laudunensis di-
 cit Papa: *Quandoquidem in Concilio cla-
 mabat, velle se causam suam coram Sa-
 cra Sede tueri, Sententiam damnationis*

*Ep. 32.
 to. 8. Conc.
 p. 932.*

in eum ferre non debebatis; () sed quoniam, salvo S. Sedis Judicio, pronunciatum, volumus, ut cum Actore legitimo Romam veniat, ubi ejus causa nobis presentibus in Concilio examini subjiciatur. Non enim iudicium ferre possumus, nisi prius causam cognoscamus, nec ægre ferre debetis, quod causa ipsius apud nos retractetur, quoniam veritas sæpius ad examen vocata clarius apparet. Prohibemus vero, ne alius in Ecclesia Laudunensi Episcopus ordinetur.*

Sæculum IX.
A. C. 871.

Hæc Epistola septimo Cal. Jan. Indictione quinta, nempe 26. Dec. anno octingentesimo septuagesimo primo, data.

In exordio Epistolæ Regi Carolo scriptæ, conqueritur Pontifex, quod Rex paternis suis admonitionibus non satis obsequeretur. Tunc transiens ad causam Hinemari Laudunensis ea omnia, quæ Episcopis scripserat, repetit, vultque, ut eum Rex militum præsidio custoditum Romam mittat. Illa quoque repetit, quæ de Actardo Turonensi dixerat, rogatque Regem, ut Ecclesiæ, toti Regno venerabilis, patrocinium suscipere velit, & subjungit: *Non ignoras, omnia Monasteria*

Epist. 33.

L 1 5

steria

(*) Ita vero quilibet reus Judicis Ordinarii sententiam, priusquam pronunciaretur, possit eludere.

Sæculum IX. A. C. 872. *steria secundum Canones sub potestate Episcopi esse debere, atque neglecta hac regula complura Monasteria interuisse, quæ sunt Monasterium Turonense S. Medardi, ubi primo hujus Ecclesiæ Episcoporum corpora condita sunt, S. Lidorii & S. Gatiani, quale etiam est Monasterium MARTYRUM, & alia in eadem civitate complura.*

Nunc S. Medardi Monasterium, est Prioratus, in Suburbio, vulgo *de la Riche* dicto, positus.

§. XXII.

Regis Caroli Epistola ad Papam data.

Rex epistola, reddente Actardo, accepta, vehementer commotus, dedit Responsoriam, quæ inter Opuscula Hincmari Remensis occurrit. Constanti animo scripta est, eamque ex calamo Hincmari fluxisse, stilus prodit. In ea Rex ad omnia, quæ Papa scripserat, ordine eodem servato respondet, & in exordio queritur, se a Papa objurgari, quod contra paternas ejus admonitiones murmuraret. *In prioribus tuis Epistolis, inquit, increpasti me tanquam perjurum, Tyrannum, perfidum, Bonorum Ecclesiæ Dissipatorem, etsi nullius criminis convictus sim. In ista murmurationis me accusas, quod crimen secundum doctri-*

to.2.p.701.

nam S. Scripturæ magnum est. Nihilominus vis, ut leniter patiar castigationes tuas. Ita profecto istorum criminum reum me tacite confiterer, atque non modo Regio munere, sed etiam Communione Ecclesiæ indignum. Si talia, quæ Ministerio tuo, meoque convenient, more Antecessorum tuorum, scripseris, læto & grato animo recipiam.

Legimus in literis tuis: Volumus & Auctoritate Apostolica jubemus, ut Hincmarus Laudunensis Romam ad nos veniat, tuo munitus præsidio. Miramur, & quærimus, ex quo fonte auctor bujus Epistolæ hauserit hanc Disciplinam; Regem, cujus est, malos emendare, & punire crimina, teneri Romam mittere Reum legitime condemnatum, præsertim cum Laudunensis, antequam deponeretur, in tribus Conciliis fuerit convictus, quod talia fuerit molitus, quæ pacem Reipublicæ perturbant, & postquam depositus fuisset, in sua pervicacia perseveret. Illud quoque monere te cogimur, nos Reges Francorum, & Regibus editos, nequam ad hæc usque tempora pro Vicariis Episcoporum fuisse habitos, sed terræ Dominos. Nam ut S. Leo, & Synodus Romana loquuntur, Reges & Imperatores, quos Divina potentia terris præesse jussit, Episcopis permiserunt, secundum suas constitutiones negotia perficere,

Sæculum IX.

A. C. 872.

p. 73.

Sæculum IX. *re, sed Episcoporum Villici nunquam extiterunt. (*) Et si revolveris Annales Antecessorum tuorum, invenies, eos talia mandata, qualia a te accepimus, non perscripsisse.* Refert deinde duas S. Gregorii Epistolas, ut ostendat, quam modeste non solum ad Reges Franciæ, sed etiam ad Exarchos Italiæ scripsisset. Dicit, Auctoritatem Regiam a Deo proficisci, & illum locum Gelasii Papæ adducit de distinctione utriusque potestatis, nempe Spiritualis & Sæcularis, quod superius memoravimus.

Sup. Lib.
XXX §. 37.
p. 701.

Noli igitur deinceps, dicit Rex, in Epistolis tuis, quas exarari ab aliis jubes, mandata & comminationem excommunicationis contra Scripturam & Canones adjicere; namque, si S. Leoni credimus, datum S. Petro Privilegium tunc

(*) Ad hanc Epistolam Regis Caroli Eminentissimus Baronius hoc anno 871. dicit: *Et quam diversa & plane contraria ab isto Carolo Calvo, qui ista dicens nec capillum habuit in capite rationis, senserit Carolus † Magnus sapientia, scientia, prudentia, pietate, & (ut mox verbo dicam) virtutibus omnibus eundem Carolum antecellens, ex ejus verbis sic accipit: In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem... ut licet vix ferendum ab illa . . . imponatur jugum, tamen feramus & pia devotione toleremus.*

† I. Dist. 19
c. 3.

constat, quando iudicium S. Petri æquitate nititur; unde sequitur, privilegium non amplius constare, ubi ab ista æquitate deflectitur. Quod vero etiam Accusatorem unacum Hincmaro venire jubes, quamvis id contra omnes Canones pugnet, scias velim, si Imperator nepos meus viam tutam præstiterit, & in Regno meo pacem cum Paganis habuero, me ipsum Romam iturum, & Actorem futurum, atque tot testes omni exceptione majores producturum, ut nemini non liqueat, quam juste eum accusaverim. Tandem rogo te, ne deinceps vel mihi vel Episcopis Regni mei ejusmodi Epistolas scribas, quales accepimus, ut tam literis tuis quam Legatis honorem competentem, quod sincere cupimus, semper exhibere possimus.

Hoc Responsum in Volumine missum sigillo impresso, adjecta Epistola brevissima. p. 706.

Episcopi Concilii Duziacensis Papæ in eundem ferme modum responderunt. In literis tuis, inquit, occurrerunt nobis aliqua, quæ sæpius relegi jussimus, quod dubitarem, an lecta satis perceperimus. Tum etiam Actardo Fratrem nostro referente cognovimus, quod negotiorum, quibus obrueris, multitudo prohibuerit, quo minus Acta integra Concilii nostri legeres, aut etiam Epistolam nostram satis caperes. Ignosce igitur, si
inge-

Sæculum IX.
A. C. 872.

tom. 8. Conc.
p. 1539.

Sæculum IX. *ingenua libertate tibi exponamus rei se-*
 A. C. 872. *riem; nempe antequam Hincmarum do-*
mnaremus, Canonem Sardicensem, ubi de
Appellatione ad S. Sedem agitur, in no-
stro Concilio recitari iussimus. Hic in
Episcoporum Epistola aliqua desideran-
tur, idque solummodo apparet, Episco-
pos voluisse demonstrare, non Romæ
sed in Francia secundum Concilium Sar-
dicense a Judicibus delegatis circa ap-
pellationem Hincmari pronunciari oportere.

§. XXIII.

Mollius Responsum Papæ.

Ep. 34.

Actardus Archiepiscopus Romam se-
 cundo profectus, his delatis Respon-
 sis, aliam Papæ ad Regem Carolum retu-
 lit Epistolam longe diversam a prioribus,
 quarum acerbitatem excusat, & in di-
 laudando Rege totus est. *Ex compluri-*
bus viris, inquit, virtute conspicuis, &
præcipue ex Fratrem nostro Actardo cogn-
vimus, Regum nullum te meliorem in
toto orbe Ecclesiarum Fautorem esse at-
que Patronum. Unde nullum in regno
tuo inveniri Episcopum vel Monasterium,
quod munificentia tua non locupletave-
rit; præterea cupere te ardentissime, Se-
dem S. Petri honorare, Vicarium ejus
& Clericos donis cumulare, & contra
hostes tueri. Et infra: Hanc Epistolam
secre-

secretissimam habe, quam nemini nisi Sæculum IX.
amicorum fidissimis communices. Fidem A. C. 872.
nostram autem interponimus, & sanctis-
sime promittimus, si tu, nosque Impera-
tori nostro superstites fuerimus, nunquam
alium præter te Imperatorem habituros,
etiamsi alius nobis modios auro plenos
offerret. Jamque nunc, si Deus dispo-
suerit, Clerici, populus, proceresque Ro-
mani te Principem suum, Regem, Pa-
tricium, Imperatorem, atque Ecclesiæ De-
fensorem exoptant. ()*

Quod spectat ad Hinemarum Laudunensem Papa declarat, se non aliter quam juxta Canones de ejus Appellatione vel le cognoscere, & promittit, se, postquam Hinemarus Romam venerit, hanc causam ad Judices ipsius provinciæ remissurum. Ultima est hæc Epistola Hadriani Pontificis, qui sub finem hujus anni octingentesimo

(*) Nempe Ludovicus II. Imperator prole mascula carebat. Quid vero causæ subest, cur silentium tam solite imperetur? scilicet, Ludovicus Rex Germaniæ, Caroli Calvi frater natus major, qui filios habebat, Imperio propior erat; cui non solum jus Hæreditatis, sed etiam consuetudo favebat; quippe ex quo Carolus Magnus Occidentis Imperator fuerat proclamatus, hæc Dignitas semper ex Familia Carolina primogenitis, Ludovico pio, Lothario, Ludovico II. obtigerat.

Sæculum IX. gentesimi septuagesimi secundi nature
 A. C. 872. debitum solvit.

§. XXIV.

S. Athanasius Episcopus Neapolitanus.

*vit. auct.
 Peto. Cass.*

Eodem anno ad Superos translatus est S. Athanasius Episcopus Neapolitanus. Jam illa ætate hæc Civitas inter præcipuas in Italia habebatur sive incolarum pietatem, sive multitudinem Ecclesiarum & Monasteriorum spectes. Officium Divinum Græce & Latine celebrabatur, & non nunquam duo erant Episcopi, qui cuilibet nationi in sua lingua ministrabant. Athanasius, Gregorii, illi Civitati Præfecti, frater, Episcopus ordinatus fuit anno octingentesimo quinquagesimo annos tantum octodecim natus. Usque adeo nulla cura Canones observandi erat. Gregorio defuncto, successit filius Sergius, levis ingenii & avaritiæ nota infamis, a moribus parentis sui omnino alienus. Cum Episcopus, ejus patruus, delinquentem sapius reprehenderet, & documenta præberet salutaria, ea non tam ipse quam uxor impatientissime ferens muliebri ferocitate dicebat ad maritum; *Si Dominus Civitatis Neapolitanæ videri vellet, eum non modo castigationes Episcopi repellens, sed etiam invisum monitorem urbe ejice-*

re, aut omnino ex vivorum numero de-
turbare debere.

Sæculum IX.
A. C. 872.

Sergius, stimulante femina, domi suæ armatos occultat. Episcopum deinde, quasi de re magni momenti deliberandum esset, accersitum vestibus Sacerdotalibus spoliatum in arctum carcerem tradit. Tota turbatur civitas, cuncti ad Sergii domum accurrentes petunt, ut Episcopum redderet, Græci, Latini, Presbyteri & Monachi Palatium intrant. Antonius quoque vir ætate & morum Sanctitate venerabilis, comitantibus omnibus Clericis venit, aliorum brachiis, nam propriæ vires deficiebant, innixus. Is Sergium vehementissima oratione objurgans, tam ipsi quam toti civitati perniciem comminatus est, nisi Pastorem charissimum populo restitueret. Sergius spatium temporis ad deliberandum petiit, cumque cives ter venissent, ille ter re infecta frementes repulit. Quia vero Clerici minabantur, se ad indicandum Ecclesiæ luctum Altaria ornamentis spoliaturos, ipsumque Præfectum perpetuo anathemate percussuros, elapso octiduo Episcopum reddidit, & veniam petens dolorem simulavit; sed Episcopi fratres, quos simul comprehendi jusserat, captos retinuit.

Exinde, cum cerneret, quantam lætiam Episcopo liberato profiteretur populus,

Hist. Eccles. Tom. XII.

Mm

pulus,

Sæculum IX. pulus, pœnitentia eum subiit, quod dī
 A. C. 870. misisset, atque exploratores distribuit,
 qui Episcopum custodirent, cunctosque
 accedentes arcerent.

Athanasius, postquam sœpius nepotem
 necquicquam rogasset, ut se mitius ha-
 beret, thesaurum Ecclesiæ annulo Episco-
 pali signavit, addita Inscriptione in hæc
 Turbæ Nea- verba: *Anathema illi, qui hanc portam*
 politanz. *me absente vel nolente effringi iusserit.*
 Moxque in Insulam Salvatoris, semileu-
 ca seu duodecim stadiis a civitate Nea-
 politana distitam, se recepit. Misit au-
 tem Sergius ex suis, qui Episcopo, suo
 nomine, dicerent: *Si quietem amat, ve-*
stem monasticam induat, curam Ecclesiæ
mibi relinquat, & Clericos, quos apud
se habet, remittat. Respondit Episco-
 pus: *Sponte nunquam deseram Sponsam*
mibi a Deo commissam, nec illos, quos
charitas impulit, ut me sequerentur. Ni-
hil aliud a Sergio peto, quam ut me in loco
tuto degere permittat, donec Deus cor i-
psius convertat.

Sergius, hoc responso accepto, col-
 lectis Neapolitanorum & Saracenorum
 copiis, Insulam, in quam Athanasius
 confugerat, novem dies obsidet. Qua-
 re percepta Ludovicus Imperator Mari-
 num Præfectum Amalfiensem cum vi-
 ginti navibus misit. Tum, fugatis Ser-
 gianis, Athanasius Episcopus Beneven-
 tum

tum ad Imperatorem deductus perhonorifice excipitur. At Sergius furore ardens, quod casses effugisset Athanasius, thesaurum Ecclesiæ rapuit, omnesque divitias distraxit, Presbyteri, ipso jubente, fustibus cæsi, & nudi per compita raptati. Ecclesias tradidit Laicis, qui data pecunia earum Patronatum emebant. Tota civitas Neapolitana ingenti consternatione marcebat.

Sæculum IX.

A. C. 872.

Hoc nuncio ad Hadrianum Papam perlato, dedit ad Sergium Epistolam, alteramque ad Clerum & populum Neapolitanum, præcipiens, sub anathematis pœna, ut Episcopum suum reciperent; cumque non persuasisset, Anastasius Bibliothecarius & Cæsarius Abbas, nomine Imperatoris & Papæ Neapolim delati, anathema pronunciarunt. Interim S. Episcopum, afflictum & per diversa loca errantem, Sergii uxor implacabili ira persequens suorum quosdam Romam misit, qui S. Virum veneno tollerent. Sed ab hoc periculo Divinitus liberatus Surrentum se contulit; ubi cum die quadam Stephano Episcopo colloqueretur, amaras lacrymas fundere cœpit, & Stephano causam quærenti respondit: *En jam infelix civitas Neapolitana a Papa & a me anathemate percussa est. Si ambo moveremur, quod facile contingere posset, quanta tot incolarum calamitas!* Ro-

Mm 2

mam

Sæculum IX. A. C. 872. *man proficiscar, & Pontificem rogabo, ut civitatem ab excommunicatione liberet.* Ivit ipse Romam, & Pontifex, misso quodam Episcopo, nomine Dominico, cives a censura absolvit. Exinde cum Athanasius cum Imperatore iter faceret, in Sedem suam restituendus, obiit in Sacello S. Quiritii sex millibus a Cassino distante decima quinta Julii, Indictione quinta, nempe anno octingentesimo septuagesimo secundo, postquam annis viginti duobus Ecclesiæ Neapolitanæ præfuisset, & mensibus viginti & uno persecutionem tulisset. Ecclesia eodem die, quo ad Superos abiit, ejus memoriam colit.

Mart. Rom. 15. Jul.

§. XXV.

Hadriani II. obitus. Joannes VIII. Papa.

Ann. Bert. 871. Mete. 872.

Inter hæc Ludovicus Imperator arripuerat in Adalgisum Ducem Beneventanum, qui jam anno octingentesimo septuagesimo primo Græcos adversus Imperatorem advocaverat, & populos Italiæ, qua meridiem spectat, ad defectionem impulerat. Ludovicus subiectis rebellibus victor Beneventum rediit, ubi Dux se Imperatori fidelissimum simulabat. Sed ecce, cum is milites dimisisset, pessimus proditor Imperatorem in suo Palatio meridianam opprimere aggredi-

greditur. Evasit ille in turrim, quam ^{Sæculum IX.} occupatam postquam toto triduo defen- ^{A. C. 872.} disset, tandem Episcopus Beneventanus obtinuit, ut, si jusjurandum, quod petebatur, edidisset, liber abire sineretur. Afferuntur Reliquiæ, Imperator cum Imperatrice, filia principe, omnibusque suis jurat, nunquam se acceptam injuriam ulturum, nec unquam in agros Beneventanos cum armatis venturum. Ita dimissus Ravennam se confert, quo cum Pontificem accersivisset, petiit, ut se suosque ab hoc juramento absolveret. Anno sequente octingentesimo septuagesimo secundo Imperator ad solemnia Pentecostes celebranda Romam delatus ab Hadriano Papa (ut conjicere licet, tanquam Hæres in Regno Lotharii) coronatur. Tum coram toto conventu Adalgisum proditionis accusat, quem Senatus hostem Reipublicæ declaravit. Altero anno Imperator in Beneventanos movit; sed Adalgisus, Græcorum viribus subnixus, primo impetu vinci non potuit, atque bellum usque in annum octingentesimum septuagesimum tertium protrahendum fuit.

Pace necdum secuta Hadrianus Papa mense Novembri anno octingentesimo septuagesimo secundo fati functus est, postquam S. Sedem annis prope quinque tenuisset, jamque die Dominica de-

Sæculum IX. circa quarta Decembris Successor ei da-
A. C. 873. tus Joannes, hujus nominis Octavus, (*)
 Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, qui
 S. Petri Cathedram annos decem occu-
 pavit. Nunc vero Joannes olim Adal-
 gisi prolem e fonte lustrali levaverat;
 quare Ludovicus Imperator, timens ne
 bellum contra Ducem Adalgisum susce-
 ptum male verteret, ex suis misit, qui
 Papam rogarent, ut ad se Capuam ve-
 niret, seque Duci reconciliaret, quo spe-
 cies esset, Imperatorem a Papa exor-
 tum Duci veniam concessisse.

Ann. Bert.
872.
Ann. Bert.
873.

§. XXVI.

Carlomannus oculis privatus.

Rex Carolus in Francia non ignarus,
 quosdam in regno suo rerum novarum
 cupidos spem suam in Carloman-
 no posuisse, anno octingentesimo septua-
 gesimo tertio Silvanecti, ubi ille custo-
 diebatur, convocato Conventu Libel-
 lum accusationis obtulit, ad Ansegisum
 Archiepiscopum Senonensem, & Hilde-
 garium Episcopum Meldensem directum,
 quia posterior Carlomannum in Diaco-
 num ordinaverat, & Ansegisus Metro-
 polita ipsius erat. Ad Episcopos pro-
 vinciæ Remensis quoque directæ erant
 que-

Ann. Bert.
to. 9. Conc.

p. 258.

(*) Hunc Platina Nonum perperam ap-
 pellat.

querelæ, quia oppidum Silvanectense illi provincie subiciebatur. Postquam omnes sententiam protulissent, Carlomannus totius Concilii Judicio a Diaconatu & omni gradu Ecclesiastico depositus Communionem Laicam contentus esse jubetur. Quod ubi factiosi audierunt, nequiquam spem conceptam abjecerunt, dicentes, eum jam ab ordine Ecclesiastico liberatum Regno propiorem esse & aptiorem; quin etiam conjurarunt, se eum quacunque demum via, quamprimum occasio faveret, e custodia liberaturos. Re ad Carolum Regem delata, novum judicium in causa criminum, de quibus non licebat Episcopis cognoscere, ferri jubet, quo Carlomannus ad mortem damnatus. Ut vero & poenitentiae tempus concederetur, & pessimum propositum exequi prohiberetur, una omnium voce statutum, nocenti oculos eruendos esse.

Sæculum IX.
A. C. 873.

Ann. Fuld.
873.

Hæc fors fuit juvenis, quem ad Ordines suscipiendos invitum compulerant.

§. XXVII.

*Concilium Duziacense secundum.
Duda Femina Religiosa.*

Anno sequente octingentesimo septuagesimo quarto decima tertia Junii Rex Carolus ad alterum Concilium Duziacense

Mm 4 ziacense

Sæculum IX. ziacense Episcopos ex diversis provinciis
A.C. 874. convocavit. Hoc Concilium prolixam

Epistolam ad Episcopos Aquitaniæ ad tollendos duos abusus illa ætate frequentissimos, nempe nuptias incestas, & Bonorum Ecclesiasticorum rapinam, dedit. Erant namque, qui dicerent, licitum esse, quod S. Gregorius Anglis initio conversionis suæ indulisset.

*Sup. Lib.
XXXVI.
f. 38.*

*Greg. XII.
sp. 31.
Interr. 7.*

Sed advertendum, S. Gregorium ad-
jecisse; si Angli in fide fuissent confirma-
ti, eos ad observandos propinquitatis
gradus usque ad septimam generatio-
nem esse obligandos.

f. 265.

In eodem Concilio Decretum in cau-
sa cujusdam Monialis, nomine Dudæ, e-
ditum est. Hæc, dominandi libidine
illecta, cum Humberto Presbytero, cui
corporis sui copiam fecerat, contra Ab-
batissam suam impia moliebatur. Quip-
pe ea impellente Humbertus datis ad
viros spectabiles Epistolis contendebat,
Abbatissam illius Monasterii esse depo-
nendam, & Dudam eo fastigio dignissi-
mam sufficiendam. Quin imo insolenti
audacia querelas etiam ad Regios Judi-
ces detulit. Sed pessime vertit dolus;
nam apud illos mendacii, perjurii, læsæ
fidei, & calumniæ contra Abbatissam,
cui fidem juraverat, & contra Præposi-
tum suum convictus est. Inter hæc,
cum intumescens Dudæ uterus lasciviam

pro-

proderet, interrogata respondit, Humbertum flagitii complicem esse. Ille rem negare, & petere, ut ad edendum jurandum admitteretur, quo objectum crimen dilueret, atque etiam juramentum aliorum Presbyterorum innocentia suæ testium pro more illius ætatis reciperetur. Duæ aliæ quoque Moniales Berta & Erpreda criminis, a Duda perpetrati, consciæ erant, prout proprio ore confitebantur.

Concilium declarat, Humberti juramentum, quo se ab objecta stupri consuetudine purgare vellet, recipi non debere, cum jam perjurii & calumniæ reus haberetur. Quia vero secundum Canones & Leges delicta in ipsis locis ubi admessa sunt examinari, & sententiam ferri oportet, decernitur, ut Delegati a Concilio unacum Regis Mandatariis ad memoratum Monasterium se conferant. Duda ad quæstionem vocetur, quo tempore & quo loco vitiata fuerit, eique atrocitas sceleris, tam illius, quod confitetur, quam calumniæ, ante oculos ponatur. Duæ Moniales complices, separatae interrogentur, & exploretur an prius a se dicta constanter affirmant. Humbertus Presbyter quoque ad examen vocetur, qui si confiteatur crimen, in conspectum Congregationis cum Duda & complicibus adducatur, omnesque iterum

Sæculum IX.
A.C. 874.

n. 3.

Duda lapsa.

n. 4.

Mm 5 rum

Sæculum IX. A. C. 874. rum confiteantur. Si vero Humbertus factum neget, in conspectum Delegatorum a Concilio, Regis Mandatariorum, Presbyterorum & Clericorum illius Monasterii, Abbatissæ & totius Congregationis adducatur, Duda etiam & conscientia adesse jubeantur, ipsumque additis cunctis temporis & loci adjunctis, prout cuilibet earum cognita fuerint, accusent. Si confiteatur delictum, minor poenitentia injungatur, sed si perveraciter neget, prius Duda & conscientia jurent, quod vera eloqui velint, deinde testimonium ferant contra Humbertum, qui ita per tres testes convictus, Concilii nomine, a Delegatis deponatur, & in exilium perpetuum in Provinciam remotam a Regis Mandatariis relegatur, in Monasterio ad agendam poenitentiam includatur, & Communionem Laicam solum accipiat.

Dudæ autem prælegantur Documenta Patrum, & Regula S. Benedicti, unde peccati sui enormitatem intelligat. Tum poenitentia ei injungatur, & primo, Abbatissa & Sororibus, sed nullo viro presentibus, ab humeris usque ad cingulum nuda virgis cædatur, tribus deinde annis a Congregatione exclusa Oratorium non intret, secundum Regulæ caput 27. Tribus annis sequentibus oret cum Sororibus, non in choro, sed extra portam

in loco sibi assignato, ubi ab omnibus Sæculum IX.
A.C. 874.
conspiciatur. Anno septimo ad oblationem procedat, sed omnium ultima.

Anno septimo exacto Communionem Corporis & Sanguinis Domini Nostri accipiat, si pœnitentiam rite impleverit. Toto reliquo vitæ tempore virtuti humilitatis & temperantiæ studeat. Abbatissa autem secundum Regulam caveat, ne pœnitentem nimio rigore contra discretionem opprimat.

c. 64.

Quod duæ Monachæ consciæ Berta & Erpreda crimen alterius sibi cognitum non revelaverint, cum ad silendum more Confessariorum nullatenus tenerentur, virgis, sicut Duda, moderate castigentur, & pœnitentiæ trienni, pro delicti sui modo, subdantur. Hoc Decretum atque etiam Epistolam Synodalem Hincmari opus esse, conjectura est; id enim Stili prolixitas & multitudo Citationum indicant.

n. 8.

§. XXVIII.

Hincmari Statuta Synodica.

Eodem anno Hincmarus Remensis, in Synodo mense Julio celebrata, Parochis suæ Diœcesis quinque articulos sequentes tradidit: *Presbyteri nostræ Diœcesis dicuntur, suas Parochias negligere & Præbendam in Monasterio Montisfalconis accipere, atque Canonici ejus-*

*Hincm. to. I.
dem p. 732.*

Sæculum IX. *dem Monasterii Parochias rurales reger-*
 A. C. 874. *das suscipere.*

to. 8. Conc.
 p. 587.

6. I.

Præbenda dicebatur pensio seu distri-
 butio rerum naturalium, quam singuli Ca-
 nonici ad se sustentandum accipiebant;
 unde postea hæc vox ad indicandum Ca-
 nonici munus adhibita est. Hincmarus
 refert deinde Canones, quibus transitus
 ab una Ecclesia ad aliam, & multo ma-
 gis possessio duorum Beneficiorum Cle-
 ricis interdicitur. *Volunt isti, inquit,*
securitate in Monasteriis, & simul De-
cimis frui; sed simul Officiis Parochi &
Canonici defungi non possunt. Si noster
baptizandus est infans in mortis pericu-
lo constitutus, aut Viaticum ad ægrotum
deferendum, non licet Canonico de Mo-
nasterio egredi, & ad agros pergere;
unde si Presbyter propter aliquam corpo-
ris infirmitatem, aut peccati occulti ven-
tum, in Monasterium se recipere volu-
vit, datis literis Parochiæ suæ Titulo
renunciet; secus, in Parochia remaneat.
 Monasteria Canonorum, (*) quemad-
 modum etiam Monachorum illa ætate
 adhucdum clausa erant, atque velut A-
 syla contra illorum temporum atrocitiam
 habebantur.

6. 2.

Tum Hincmarus prosequitur: *Sæpe*
vos monui de Matriculariis, qua ratione

(*) Nempe Canonorum Cathedralium.

eos recipere, iisque Decimarum partem Sæculum IX.
 tribuere debeat. Hi Matricularii erant A. C. 874.
 pauperes in Commentario Ecclesiæ in- Sup. Lib.
 scripti; quod ad Regulam S. Chrode- XLII. §. 39.
 gangi annotavimus. Rursus Hincma-
 rus: *Prohibui vobis, pro eo, quod quis*
Matriculæ Ecclesiasticæ inseratur, nec
munus, nec obsequium, nec pretium sive
in domo sive extra domum accipere. Hoc
iterum vobis inculco; nam istud, quid
est aliud, quam eleemosynam vendere?
Decerno autem, ut Presbyter, qui hujus
avaritiæ reus convictus fuerit, depona-
tur, & nec cum pauperibus decimarum
partem, quam Matricularii habent, ac-
cipiat.

Præterea Hincmarus Ecclesiæ Le-
 gem, ne quis Clericus inter feminas ha-
 bitet, aut colloquatur, renovat. Dicit:
Non movebo quæstionem, an feminis stu-
prum obtuleritis, sed puniam vos, si plus-
quam Clericum deceat, familiariter cum
iis egeritis. Vel omnium feminarum
alloquio, vel Ministerio Sacerdotali re-
nunciate. Delatum est ad me, quod ali-
qui ex vobis, Ecclesiarum suarum cura
abjecta, emant Allodia, (id est fundos
proprius) quæ excolunt, & in iis ædes
extruunt, ubi feminae habitant. Nec
Bona illa Ecclesiæ acquisita putent, quod
Canones præcipiunt, sed ea propinquis
suis aut aliis tribuant. Scitote, illos se-
cundum

Sæculum IX. *cundum legum rigorem pœnas mihi delatos, si quos invenero, tantos abusus commendare nolentes.* Nempe Presbyteri, cum parcissime eleemosynam darent, & hospitalitatem non colerent ex redditibus Ecclesiæ sibi Bona immobilia comparabant. Tandem prohibet, ne datis muneribus Patronos sollicitent ad concedendum sibi Parochias vacantes, quas deinde Discipulis suis conferant. *Non ignoratis, inquit, nullum Fidelem in nostra Diœcesi pati velle, ut Ecclesia sua Presbyteri Ministerio careat, & Presbyterum sine Ordinatione Episcopi ministrare non posse. At ego nullum Clericum mihi delatum ordinabo, nisi dignum judicavero; unde culpa in vos recidit, quod Patroni bonos Clericos non deligant.* Ex hoc loco dispicimus, Hincmarum nullum Clericum nisi aliquo Titulo vacante ordinasse.

§. XXIX.

*Concilium Ravennatense.**Rub. lib. 5.**p. 243. to. 9.**Conc. p. 1135*

Eodem anno octingentesimo septuagesimo quarto Joannes VIII. Papa, Ravennam delatus, convocato septuaginta Episcoporum Concilio, dissidium inter Ursum Ducem Venetorum & Petrum Patriarcham Gradensem ortum composuit. Cum enim, Senatore Episcopo Torcellensi vita functo Dominicus Abbas

bas Monasterii Altinensis ei successor e-
 lectus fuisset, ipsum Petrus Patriarcha Sæculum IX.
A. C. 875.
 ordinare reculavit, quod Dominicus
 quondam se ipsum evirasset. At Duce
 Venetorum vehementer urgente, ut
 nullus alius quam Dominicus ad Episco-
 patum promoveretur, Patriarcha perter-
 ritus profectioe Romam suscepta Pon-
 tificem rogavit, ut hanc causam exami-
 ni subjiceret, & definiret. Deinde cum
 Papa Ravennam venit, quo etiam Hen-
 delmarus Patriarcha Aquilejensis cum
 ceteris illius provinciæ Episcopis se con-
 tulit. Tandem consensere omnes, ut
 Dominicus redivitibus Ecclesiæ Torcellen-
 sis frueretur.

§. XXX.

*Ludovici II. Obitus. Carolus Calvus
 Imperator.*

Ludovicus II. Imperator, anno sequen-
 te, die ultima Augusti vita functus
 est, postquam ab obitu parentis sui annis
 ferme viginti imperasset, & Mediolani
 in Ecclesia S. Ambrosii sepultus. Quo
 nuncio accepto patruus ejus Rex Caro- Ann. Bert.
Fuld. p.875.
 lus Duziaco ex Arduenna profectus ma-
 xima qua potuit celeritate in Italiam
 contendit. Tum decima septima De-
 cembris Romam, quo a Papa invitaba-
 tur, perveniens, perhonorifice in Eccle-
 sia S. Petri excipitur, atque in Festo Na- Metens. 878.
 tivita-

Sæculum IX. tivitatis Domini Imperator coronatur. (*)
A. C. 875. Carolus S. Petro magna dona obtulit,
 & præterea etiam Papæ, Senatui populoque Romano ingentia dedisse dicitur.

Met. Fuld.

Inter hæc Ludovicus Rex Germaniæ, alter defuncti Imperatoris patruus, qui sibi, utique primogenito, plus juris quam Carolo in Nepotis hæreditatem competere afferebat, parato exercitu, ut Carolum ab Italia abstraheret, in Franciam irrupit & usque Attiniacum progressus ibidem Festa Domini Natalitia celebravit. Fama adventum ejus prævertente, antequam in Franciam pervenisset, cum Episcopi provinciæ Remensis Hincmarum Archiepiscopum suum consuluissent, quid sibi in ista rerum vicissitudine faciendum esset, nam multi ex Optimatibus dicebant, se a Carolo destitutos, a fide ei jurata absolvi, respondit Hincmarus, data ampla Epistola, in qua Patrum auctoritatem sæpissime adducit, & Suffraganeis suis suadet, ut Carolo fidem servant, Ludovicum vero a sua

Opusc. 9. to.
2. p. 157. n. 37
p. 176. n. 42.
n. 36.

(*) Cur hic Carolus Calvus natu minor Ludovico Regi Germaniæ natu majori prælatum sit, nulla, nisi ratio Status, reddi potest. Ceterum hic primo passi injuriam Germani, eam sequentibus Sæculis alta mente repositam habuerunt.

a sua Communione non excludant, sed officii sui admoneant, quo pacta cum fratre suo inita servare (*) teneretur.

Sæculum IX.
A. C. 876.

Lex Ludovicus in regnum suum ultra Rhenum mense Januario anno sequente octingentesimo septuagesimo sexto reversus est. Carolus vero Imperator cum Roma discessisset quinta ejusdem mensis Ticinum venit, ubi convocatis Comitibus Bosonem Richildis uxoris suæ fratrem Ducem Longobardiæ, Corona Ducali, & Titulo Vicarii Cæsarei ornatum, constituit. Hæc Comitibus numero Conciliorum accensentur, pervenitque ad nos Decretum nomine Episcoporum ceterorumque Optimatum ex Regno Italiæ editum, in quo dicunt sermone ad Carolum directo: *Cum Divina Bonitas per intercessionem SS. Petri & Pauli, & per Ministerium Joannis Papæ ipsorum Vicarii, te ad utilitatem Ecclesiæ & nostrum omnium vocaverit, atque in thronum Cæsareum evexerit, te unanimi voce eligimus Dominum nostrum & Defensorem, cui latantes nos submittimus,*

to. 9. Conc.
p. 283.

(*) Nullibi occurrunt hæc pacta. Nec est verisimile, Ludovicum de jure suo & Liberos suorum cessisse. Repugnant etiam ea, quæ tam ipse quam ipsius posterius ad obtinendum Imperium moliti sunt.

Hist. Eccles. Tom. XII.

N n

Sæculum IX. *timus, & promittimus, omnia, quæcum-*
A. C. 876. *que Ecclesiæ & Saluti nostræ proficua im-*
peraveris, esse facturos. Huic Decreto
 subscripserunt Episcopi ex Hetruria, &
 Longobardia septendecim, quorum pri-
 mus est Anspertus Archiepiscopus Me-
 diolanensis. Tum visitur subscriptio u-
 nius Abbatis, Ducis Bosonis, & decem
 Comitum. In eodem Concilio Cano-
 nes quindecim conditi, seu articuli ad
 Disciplinam spectantes, quibus præcipi-
 tur, ut Sæculares viros Ecclesiasticos
 congruo cultu venerentur, Bona Eccle-
 siarum tueantur, atque concordiam in-
 ter Episcopos & Comites foveant. La-
 ci jubentur in diebus Festis Officio Di-
 vino sive in Civitate sive ruri interesse.
 In Domibus non liceat sine Episcopi con-
 sensu Missas celebrare. Episcopi cum
 suis Clericis in Claustro maneant. An-
 tiqui Canones, ne quis Clericus vene-
 tur, aut armatus incedat, renovantur.

§. XXXI.

Formosus damnatur.

Joa. ep. 319. Anno octingentesimo septuagesimo sex-
 to mense Februario Papa datis ad Ce-
 rolum Imperatorem literis contra Gre-
 gorium Ecclesiæ Romanæ Nomenclato-
 rem & Georgium ejus generum quere-
 las movit. Erat vero Nomenclatoris
 Officium, illos, quos Papa mensæ suæ ad-
 hibere

hibere volebat, advocare, & illos exci- Sæculum IX.
 pere, qui ad Papæ alloquium admitti A. C. 876.
 petebant. Gregorius filius fuit Theo-
 philacti, qui olim idem officium obtinue-
 rat. Cum ergo ad Papæ notitiam per-
 venisset, quod Gregorius & ipsius gener
 contra se & Imperatorem conjurassent,
 libello accusationis ad Imperatorem mis-
 so, eos ultima die Martii citari jussit, &
 diem, qua ad dicendam causam venirent,
 præstituit. Illi modeste quidem respon-
 derunt, promittentes, se Papæ obtem-
 peraturos; sed moras deinde nexuerunt,
 & valetudinem simularunt, quod spera-
 rent, Papam cum amicis suis hoc tem-
 poris spatio interfici, aut Saracenis viam
 in Urbem aperiri posse. Cum vero vi-
 derent, Papam provide sibi cavere, &
 judicii diem imminere, communicarunt
 consilia cum Formoso Episcopo Portuen-
 si, Stephano Secundicerio, Sergio Magi-
 stro militum, & Constantina Nomen-
 clatoris filia, a Papa necdum quidem ci-
 tatis, sed perpetuis Imperatoris inimicis,
 qui acriter ejus electioni adversati fue-
 rant.

Hi omnes noctis beneficio usi Roma
 excefferunt per S. Pancratii portam (nam
 claves dolose ad fugam præparatas ha-
 bebant) eamque egressi reliquerunt a-
 pertam, etsi scirent, Urbem circumqua-
 que a Saracenis obsideri. Cunctos quo-
 que

Sæculum IX. que Ecclesiæ thesauros abstulerant. Cum
 A. C. 876. autem Papa ad eorum domos misisset
 duos Episcopos, respondent famuli, ne-
 scire se, quo se Domini sui contulissent.
 Ergo Judicium in aliam diem differtur,
 & postquam eos Papa iterum canonicè
 citari iussisset, congregat Synodum suam
 in Ecclesia S. Dominæ Nostræ ad Marty-
 res, quæ hodie Rotunda dicitur, ibique
 servata Judiciorum forma sequentem
 Sententiam contra Formosum pronun-
 ciat.

Sup. Lib. L.
 §. 54.

*Formosus Episcopus Portuensis ab An-
 tecessore nostro Nicolao beata memoria
 in Bulgariam Legatus, Regem Neophy-
 tum suis fraudibus deceptum, terribilibus
 Sacramentis obstrinxit, ne unquam al-
 lium Episcopum, ipso superstite, a Sacra
 Sede susciperet, & ipse vicissim promissis
 jurans, quantocius ad hunc Regem se re-
 diturum; unde a nobis licentiam, literas
 & necessaria itineri subsidia accepit. De-
 dum per ambitionem a minori Ecclesia
 ad majorem (videlicet Sedem Apostoli-
 cam) prosilire conatus est. Nunc vero
 sine nostra licentia propriam Ecclesiam
 deseruit, ab Urbe discessit, & contra sa-
 lutem Reipublicæ & dilecti filii nostri
 Caroli, quem elegimus & consecravimus
 Imperatorem, cum fautoribus suis con-
 spiravit. Quare, nisi intra decem dies,
 nempe vigesima nona Aprilis hac Indictio-*

ne nona venerit & se purgaverit, vo-
 lumus, ut omni Communione Ecclesiasti-
 ca privetur. An istud vos quoque vul-
 tis? Omnes responderunt: Volumus.
 Et, si intra dies quindecim, proxima die
 quarta Maji, in judicium non venerit,
 eum ab omni Ministerio Sacerdotali de-
 jectum pronunciamus. An & vos pro-
 nunciatis? Omnes iterum: Pronuncia-
 mus. Et, si intra dies viginti, nempe
 nona Maji, non veniat, aut si turbas in
 Ecclesia excitet, & contra hanc nostram
 Sententiam reclamare voluerit, sine ulla
 absolutionis spe anathema sit!

Hic prudentem Lectorem de crimi-
 nibus, quibus Formosus in ista senten-
 tia titulo contumaciæ lata accusatur, ju-
 dicium suum suspendere oportet; nam, Sæculum IX. A. C. 876.
 quæ sequentur, ostendent, quod pro E-
 piscopo virtutis & pietatis studiosissimo
 habitus fuerit; estque opinioni locus,
 crimen ejus maximum fuisse, quod ele-
 ctio Caroli Calvi in Imperatorem ipsi
 non probaretur.

Papa similem sententiam pronuncia-
 vit in Gregorium Nomenclatorem, quod
 annis prope octo suis perjuriis, dolis,
 avaritia, rapinis Ecclesiam dehonestasset,
 quod Summum Pontificatum ambiisset,
 quod in Carolum Imperatorem & in Pa-
 pam sæpe & graviter deliquisset, quæ ca-
 pita publice recitata, quod datam fi-

Sæculum IX. dem fregisset, venturum se, & quæ de
A. C. 876. Ecclesiis aliisve privatis rapuisset red-
 diturum, quod Roma fugisset, ut Judi-
 cium evitaret, & etiamnum Reipublica
 atque Imperatori perniciem moliretur.
 Eadem sententia involvebantur Stephe-
 nus Secundicerius, Gregorii frater, ac-
 cusatus, quod complures Ecclesias spo-
 liasset & expilasset, Georgius Gregorii
 gener, cui adulteria & homicidia & præ-
 cipue, quod Thesaurum Palatii Latera-
 nensis furatus esset, objiciebantur, Ser-
 gius Magister militum, & Constantina
 Gregorii filia, diversorum criminum
 postulati. Unde dignoscitur, quam
 corrupta tunc fuerit Roma, & quam im-
 pune vitia in Pontificum etiam familiis
 regnaverint; nam Georgius olim Bene-
 dicti Papæ neptem uxorem habuerat,
 quam tetro facinore sustulisse dicebatur;
 Sergius vero Nicolai Papæ Neptem du-
 xerat, & utraque maritum locupletave-
 rat. In hos accusatos omnes, nisi ob-
 jecta diluissent intra decem dies, excom-
 municatio, & post dies quindecim an-
 thema perpetuum intorquebatur.

§. XXXII.

Concilium Pontigonense.

Carolus Imperator in Franciam rediit
 Concilium Pontigone, mense Junio,
 Indictione nona, nempe anno eodem
 & tingen-

Octingentesimo septuagesimo sexto cele-
 brari curavit. Aderant duo Pontificis
 Legati, Joannes Episcopus Tuscanensis (*)
 & Joannes Episcopus Aretinus. Tum
 Episcopi Franciæ quinquaginta, quibus
 præerant Archiepiscopi septem, Hinc-
 marus Remensis, Ansegisus Senonensis,
 Aurelianus Lugdunensis, Frotarius Bur-
 degalensis, Ottramus Viennensis, Joan-
 nes Rotomagensis, Bermundus Embro-
 dunensis. Remigio Archiepiscopo Lug-
 dunensi anno forsan octingentesimo se-
 ptuagesimo quarto fatis functo, succeffe-
 rat Aurelianus, in illa provincia nobili-
 bus parentibus natus. Is adhuc adole-
 scens Clericis adscriptus, & deinde Ar-
 chidiaconus Augustodunensis Abbatiam
 Athanacensem in Beneficium, eo prope
 modo, quo hodie Commendæ conferun-
 tur, accepit. Erat tunc illud Monaste-
 rium desertum, quod ut restitueret, Au-
 relianus Monachos e Bonavalle Dicece-
 sis Carnutensis advocavit. Alterum
 quoque Monasterium in Territorio Bu-
 giensi, & loco, qui tunc *Saxiac*, hodie
Sessieu dicitur, fundavit. Talis erat Ar-
 chiepiscopus Aurelianus. Ottramus
 Archiepiscopus Viennensis S. Adoni suc-
 cesse-

Sæculum IX.
 A.C. 876.

tom. 9. Conc.
 p. 281.

Mabill. act.
 SS. Ben. to.
 2. p. 490.

Nn 4 cesse-

(*) Hoc nomen civitatis haud dubie de-
 structæ hodie non amplius occurrit, sed dicitur
Leandro. Geogr.

Sæculum IX. A. C. 876. cesserat, anno superiore octingentesimo septuagesimo quinto, ætatis suæ septuagesimo sexto, postquam annis sexdecim illam Sedem tenuisset, defuncto, cujus memoriam ipso obitus die decima sexta Decembris Ecclesia colit.

Mabill. eod.
to. 6. p. 271.
Mart. Rom.
16. Dec.

Præter Martyrologium suum scripsit etiam Chronicum, quod a creatione mundi usque ad Lotharii Imperatoris & filiorum ejus tempora perduxit. Illud deinde quidam alius usque ad annum octingentesimum septuagesimum nonum continuavit.

Ann. Bert.
876.

Cum prima Sessio Concilii Pontigonensis vigesima prima Junii celebraretur, Episcopis omnibusque Clericis veste Ecclesiastica indutis, Ecclesia aulais frata, Libro Evangeliorum super pulpitem in medio Concilii ante Sedem Cæsaream posito, intrat Imperator more Francorum vestitus & multo auro resplendens. Scimus, qualis habitus patrius Francorum fuerit, ex descriptione Eginhardi, & luculentius ex Bibliis manuscriptis ex Tabulario Ecclesiæ Metensis productis, ubi Carolus Calvus in folio suo sedens, utrinque uno Comite, & compluribus viris Ecclesiasticis in conspectu ejus stantibus exhibetur. In hac imagine miniati operis visitur Carolus Imperator longa tunica, cultu Romanorum, vestitus; at duo Comites in amictu Francico

vit. Car. M.
c. 7. n. 28.

to. 2. Conc.
p. 1276.

cico, & viri Ecclesiastici Casula ornati, ^{Sæculum IX.} quasi ad altare procederent, ^{A. C. 876.} conspiciuntur. Imperatorem in Concilium ingredientem duo Sacræ Sedis Legati comitabantur, & postquam Cantores Antiphonam, *Exaudi nos Domine!* quæ hodieque, priusquam Synodis initium detur, recitari solet, absolvissent, Joannes Episcopus Tuscanensis orationem pronuncia-
vit, & confedit Imperator.

§. XXXIII.

Archiepiscopi Senonensis Primatus.

Tunc ergo Joannes Episcopus, Legatorum præcipuus, prælegit Papæ Epistolam, atque inter alias secunda Januarii hoc anno octingentesimo septuagesimo sexto datam, qua Ansegisum, Archiepiscopum Senonensem, Galliarum & Germaniæ Primatem, tanquam Papæ in illis provinciis Vicarium sive ad convocanda Concilia, sive ad alia negotia Ecclesiastica pertractanda constituebat, præcipiens etiam, ut Sacræ Sedis Decreta ipse Episcopis significaret, ad Papam deinde referret, an illis Decretis omnes obedientiam præstitissent, ipsumque in Causis majoribus consulere. Episcopis petentibus, ut sibi literas ad se directas inspicere liceret, non permisit Imperator, volens ut nihilominus responderent. Illi dixerunt; obtemperaturos se Papæ

Joan. Ep.
313.

Nn 5

præ-

Sæculum IX. præceptis, salvo Metropolitanarum jure,
A. C. 876. secundum Canones, & Sacræ Sedis De-
 creta iis consentientia.

Tum, quamvis Imperator & Legati instarent, ut Archiepiscopi simpliciter edicerent, an agnoscerent Ansegisi Primatum, aliud responsum exprimere non potuerunt.

Ann. Bert. Solus Frotarius Archiepiscopus ea, quæ Imperatori arriderent, locutus est. Unde omnibus Principi assentari videbatur, quo sibi ad majorem Sedem viam sterneret; nam Frotarius ab Ecclesia Burdegalensi ad Pictaviensem transierat, & adhuc dum Bituricensem sperabat.

Imperator offensus dixit; Papam sibi præcepisse, ut vices ipsius in hac Synodo obiret; hinc se accepta mandata effectui dare velle. Itaque Epistolam Papæ, ut erat clausa, Carolus & duo Legati Ansegiso tradunt. Mox sedem pontificalem ante omnes Episcopos regni sui transalpini juxta sedem Joannis Tuscanensis ad dexteram Imperatoris sedentis collocari, atque Ansegisum, omnibus Episcopis ipsum Ordinationis tempore præcedentibus præpositum, in ea acquiescere jubet. Repugnavit Hincmarus Remensis, coram toto Concilio edicens, hæc molimina Canonibus adversari. Sed Imperator in sententia sua persistens,
 Episco-

Episcopis ne quidem concessit, ut hujus *Sæculum IX.*
 Epistolæ Papalis exemplar sibi describe- *A. C. 876.*
 rent.

Habemus Hincmari Tractatum ad
 Episcopos directum, in quo amplissime
 argumenta deducit, quibus permotus,
 primatum Ansegisi non recipiat. Fun-
 damentum ponit Canones Nicenos, nem-
 pe sextum, in quo antiqua omnium Ec-
 clesiarum privilegia confirmantur, &
 quartum, in quo statuitur, omnia, quæ in
 qualibet provincia agerentur, auctorita-
 te Metropolitæ confirmari debere. Ca-
 nones Nicenos suffulcit testimonio S.
 Leonis, aliorumque Pontificum. *Illud
 quidem verum est, ait, quod Papa in qui-
 busdam remotis provinciis, Jurisdictioni
 suæ subjectis, Vicarios Metropolitæ
 præfecit (hic ei de Macedonia & cete-
 ris Illyrici Occidentalis partibus sermo
 est) sed tamen, addit, etiam tunc jura
 sua Metropolitæ salva constiterunt. Nec
 illud negari potest, a Pontificibus non
 nunquam Vicarios in Galliis constitu-
 tos, sed tempore præfixo & ad causas
 particulares, puta, ad Simoniam com-
 primendam, ad prohibendas Ordinationes
 illicitas, ad Disciplinam restaurandam,
 aut ad convertendos Infideles; qualia o-
 lim S. Bonifacius mandata habuit. At,
 rebus compositis, Ecclesiæ jura pristina
 retinuerunt.* In hoc loco Hincmarus
 extol-

n. 20. 30.

n. 22.

Sæculum IX extollit privilegium, quod ipse a Bene-
 A. C. 876. dicto Papa, Ebbone damnato, obtinuerat, & solerter in rem suam notat, quod
 n. 31. Vicariatus Drogoni Episcopo Metensi a
 Sup. Lib. Sergio Papa, Lothario Rege superflite
 XLVIII. collatus, effectu caruerit. In epilogo dicit, etiamsi duo tresve assentatores, privilegium, de quo nunc agitur, susciperent, majorem tamen adversantium numerum vincere oportere, nec Imperatori potestatem esse legitimam, qua negotia Ecclesiastica definiret.

§. XXXIV.

Acta in Concilio Pontigonensi.

In secunda Sessione Concilii Pontigonensis die vigesima secunda Junii anno octingentesimo septuagesimo sexto habita, lecta sunt Acta Concilii Ticinensis ad Electionem Imperatoris, & Articulos Ticini editos confirmandos. Illa igitur Acta, jubente Imperatore, Episcopi & Optimates Franciæ, Burgundiæ, Aquitaniæ, Septimaniæ, Neustriæ & Provinciæ rata habuerunt.

To. 9. Conc.
p. 284.

Sessione tertia die tertia Julii, Imperatore non presente, celebrata. In eadem Presbyteris diversarum provinciarum, qui se ad Legatos Sacræ Sedis convertabant, acriter disceptatum. (*) Die altera

(*) Invidiosa res est appellatio, quæ Episcopos

tera habita Sessio quarta, Imperatore Sæculum IX.
 præfente. In ea Legatos Fratris sui Lu- A. C. 876.
 dovici, Guillebertum Archiepiscopum
 Coloniensem & duos Comites in con-
 spectum admisit, qui partem Regni a Lu-
 dovico Imperatore defuncto possessi, no-
 mine Domini sui, jure Hæreditatis, &
 ex jurejurando, quo se invicem Fratres
 Regii obstrinxissent, poscebant. Tum
 Joannes Episcopus Tuscanensis Joannis
 Papæ Epistolam legit, ad Episcopos in
 Regno Ludovici directos, atque descri-
 ptum exemplar Guilleberto Archiepisco-
 po Episcopis reddendum tradidit. In
 hac Epistola Ludovicus acerbè increpa-
 tur, quod cum exercitu in regnum Ca-
 roli Imperatoris fratris sui, ipso absen-
 te, irrupisset, etsi Papa se ipsum inter
 fratres pacis conciliatorem obtulisset.
 Multo vehementius Papa objurgat Epis-
 copos, quod Ludovico Regi non obsti-
 terint, atque in hac causa adducit, quod
 dicit Sanctus Paulus, *Non est nobis lucta*
adversus carnem & sanguinem, sed adver-
sus Principes & Potestates, & complu-
 res alios Scripturæ Textus in sensum a-
 lienum

Ep. 315.

Eph. 6. 12.

epos, Judices nempe ordinarios, vel imperite
 vel perverse sententiam pronunciasse præsumit;
 unde, licet hocce remedium non nunquam sit
 necessarium, raro tamen concedendum vide-
 tur.

Sæculum IX. A. C. 876. lienum detortos. In peroratione dicitur, Episcoporum esse, suo hortatu Ludovicum Regem ab iniqua molitione abstrahere, nisi deponi, excommunicari, & præcisa omni spe absolutionis anathematizari velint. *Quicumque enim, inquit, cum Legatis nostris in locum, quem ipsi indicaverint, ad componendas lites hoc anno inter duos Fratres Reges exortus non venerit, cujuscunque conditionis fuerit, sciat, sibi nullam veniam sperare superesse.*

ep. 316. Altera deinde Epistola lecta, ad Comites in regno Ludovici existentes data, in qua Regi eadem exprobrabantur, & eadem comminationes repetebantur in Procures, nisi ad Collationem a Legatis indicatam venirent. 317. Lecta quoque est Epistola ad Episcopos & Comites in Regno Caroli Imperatoris, qui Carolo, cum armatus venisset Ludovicus, fidem servaverant, & iterum alia ad illos, qui a Carolo defecerant. 318. Illi laudantur, illi vituperantur, omnes Legatis obedire jubentur.

Decima Julii, quinta Sessio hujus Concilii habita, ad quam duo novi Legati Pontificis, Joannes ejus Nepos & Apocrisarius, Episcopus Gabiorum, & Petrus Episcopus Fori Sempronii advenire, Epistolas ad Imperatorem & Imperatricem datas, & Papæ verbis Salu-

tem Episcopis afferentes. Postridie in Sæculum IX.
 sexta Sessione lecta est Papæ Epistola ad A. C. 876.
 omnes Episcopos Galliæ & Germaniæ Concilium
 directa, in qua Sententiam contra For- Pontigo-
 mosum Episcopum, Gregorium Nomen- nense.

clatorem, ceterosque conscios editam ep. 319. p.
 significabat, atque Episcopos ad eam 292. n. 18.

promulgandam & in omnibus Diœcesi-
 bus effectui dandam hortabatur. In ea-
 dem Sessione Imperatori dona a Ponti-
 fice missa, inter quæ præcipua erant Sce-
 ptrum, & Baculus aureus, atque Impe-
 ratrici panni pretiosi, armillæque gem-
 marum fulgore coruscantes traditæ sunt.

sessio septima, decima quarta Julii,
 celebrata. Misit Imperator Legatos
 Pontificios, qui Episcopos acriter objur-
 garent, quod die præterita jussu Impe-
 ratoris vocati non venissent; sed post-
 quam Episcopi manifeste probassent,
 quod secundum Canones egissent, Le-
 gati lenius loqui cœpere. Tum Joan-
 ne Tuscanensi, cum iterum jussu Impe-
 ratoris Epistola de Primatu Ansegisi re-
 citata fuisset, responsum ab Episcopis
 petente, singuli Archiepiscopi dixerunt;
 unam omnibus constare sententiam, se-
 que Pontificis Decretis obsecuturos se-
 cundum illam normam, qua Antecesso-
 res sui ipsius Antecessoribus obediissent.
 Atque, Imperatore absente, hoc respon-
 sum mitius quam in Sessione prima su-
 scepiunt.

Sæculum IX. scepum. Iterum agitata est quæstio de
 A. C. 876. Presbyteris ad Legatos Pontificios con-
 fugientibus, & tandem lectus Libellus a
 Frotario Archiepiscopo Burdegalensi ob-
 latus, in quo postulabat, ut Sedem Bi-
 turicensem adire permetteretur, cum ei
 in sua Civitate ob incurfus Paganorum
 (nempe Normannorum) commorari non
 liceret. Et tunc quidem Episcopi una-
 nimi voce hanc petitionem rejecerunt,
 sed nihilominus sequente tempore Fro-
 tarius Sedem Bituricensem obtinuit.

Episcopi, jubentibus Legatis, ad oct-
 avam & ultimam Sessionem, decima
 sexta Julii, mane congregati. Impera-
 tor quoque in Concilium ad Nonam se-
 contulit, vestitus & coronatus Græco-
 rum more; ad eum nempe modum quo
 Imperatores Constantinopolitani in num-
 mis aut in Manuscriptis ornati con-
 spiciuntur. Annalium Fuldensium Au-
 ctor perhibet, Carolo cultum corporis,
 postquam ex Italia rediisset, fuisse Dal-
 maticam longam, Zonam usque ad ta-
 los dependentem, & velamen sericum
 cum corona superposita in capite, isto
 habitu diebus Dominicis & Festis ad Ec-
 clesiam processisse, & spreto veterum Re-
 gum Francorum amictu molles Græco-
 rum vestes amasse. (*)

v. Gang.
 fam. Byz. p.
 139. Ann.
 Fuld. 876.

(*) Sæpius levis ingenii notæ in Carolo
 Calvo

Hoc igitur vestitu Carolus in Conci- Sæculum IX.
 lium venit, deductus a Legatis, Roma- A. C. 876.
 no habitu incedentibus, Episcopis in ve-
 ste Ecclesiastica adstantibus. Postquam
 Leo Episcopus preces recitasset, Joannes
 Episcopus Aretinus alter Legatus legit
 Scriptum ratione & auctoritate destitu-
 tum; ut loquuntur Annales S. Bertini,
 qui vel Hincmari calamo vel jussu con-
 scripti sunt. *Postea vero, ut iidem An-
 nales referunt, Odo Episcopus Bellova-
 censis legit quosdam Articulos, a Legatis,
 ab Ansegiso & ipso Odone dictatos, nun-
 quam communicatos Concilio, contradi-
 ctionem implicantes, nec auctoritate suf-
 fultos, nec rationi consentaneos. Unde
 in hoc loco inserti non sunt.* Quæstio
 de Primatu Ansegisi tertio in medium
 allata; sed nihilominus, postquam Im-
 perator & Legati contra Episcopos mul-
 tum

Calvo deprehensæ. Ceterum, necesse est ipsum
 existimasse, cum a Summo Pontifice Imperator
 coronaretur, non Occidentis modo sed etiam
 Orientis Imperium sibi conferri, seque de jure
 Imperatorem Græcorum esse; nisi enim hoc pu-
 tasse dicatur, non apparet, quomodo, post ac-
 ceptum Imperium, Principi in Francia nato &
 educato in mentem venire potuisset, ut inter
 Missæ Solemnia habitu Græcorum comptus
 conspici vellet.

A. C. 876. Sæculum IX. tum conquesti essent, Ansegisus nihil amplius in hac ultima Sessione quam prima die impetravit. Nihil immutatum, & exinde quidem Archiepiscopus Senonensis Titulo Primatis in Gallis & Germania gaudet, sed nulla annexa est Jurisdictionio. Tum Petrus Episcopus Fori Sempromii & Joannes Tuscanensis ad Imperatoris Palatium se conferunt, & Imperatricem Richildem coronam in capite gestantem in Concilium inducunt. Illa apud Imperatorem stante, omnes consurgunt, & Leo Gabiensis atque Joannes Tuscanensis, Papæ, Imperatori, Imperatrici, ceterisque, ut consuetudo ferrebat, acclamant. Leo vero Legatus ultimas preces peregit. Hic fuit Concilii istius exitus.

§. XXXV.

Articuli rejeçti.

to. 9. p. 290. Articuli, quorum Scriptor Annalium Bertinianorum mentionem facit, & tantopere contemnit, novem sequentes fuisse creduntur, qui in aliis Exemplaribus, apposita die decima sexta Julii, Sessione ultima, anno octingentesimo septuagesimo sexto occurrunt. In his Articulis legitur: *Ludovico Imperatore fati sumo, Joannes Papa Regem Carolum, missis ad eum Gaderico Episcopo Velitrensi, Formoso Portuensi, & Joanne Aretino*

invitavit, ut Romam veniret, eum Eccle-
 siae S. Petri Tutorem elegit, & Roma-
 num Imperatorem coronavit. Nos igitur
 Papae mandatis morem gerentes, om-
 nia quae egit, confirmamus. Concilio Ro-
 mae congregato, priusquam advenisset Im-
 perator, Pontifex, omnibus consentienti-
 bus, datis ad Ludovicum Regem & ejus
 filios, ad Archiepiscopos, Episcopos, Ab-
 bates, ceterosque ipsius regni Optimates
 Epistolis, auctoritate Apostolica hortatus
 est, ne regnorum pacem turbarent, in
 Provincias Imperatoris non irrumperent,
 dum venissent ad conferendum de his
 negotiis, & Papa inter ambos fratres Re-
 gnorum jura, pro ratione Ministerii
 sibi a Deo commissi, (*) definivisset. O-
 do Episcopus Bellovacensis has Epistolas
 deferre jussus, eas bis reddere voluit, sed
 nemo fuit, qui reciperet. Quin imo Lu-
 dovicus Rex instructo exercitu fratris
 sui regnum invasit, depopulatus est, at-
 que ipso auctore caedes, sacrilegia innu-
 meraque alia flagitia perpetrata.

Papa tot malis commotus, Joannem
 Tuscanensem, & Joannem Aretinum E-
 piscopos protinus misit cum Epistolis, in
 qui-

002

(*) Horum Articulorum Auctor in illa sen-
 tentia fuit; Summos Pontifices posse pro suo
 arbitrio, & quidem de Jure Divino, Imperato-
 res eligere.

Saeculum IX.
 A. C. 876.

2.

4.

Sæculum IX. quibus admonebat Regem Ludovicum, ut
 A. C. 876. pænitentiam ageret, & ex regno fratris
sui militem abduceret. Sed ipse & Le-

- gatos & paternam admonitionem respexit. Itaque Papa Leonem Episcopum Galliarum & Petrum Forosemproniensem misit cum iisdem mandatis. Et admodum incertum, an ea Rex recepturus sit. Quia vero alia negotia Ecclesiastica prohibent, ne duo Legati, Leo & Petrus longo tempore hic commorentur, & quum non est, Episcopos a provincia remota huc delatos diu detinere, visum est aliis Legatis Joanni Tuscanensi & Joanni Aretino, cum aliquot delectis Episcopis, illam curam esse committendam, ut ea, quæ restant, perficiant, sive aliud Concilium convocandum sit, sive refractarios puniendi. Papa autem cum tota Ecclesia Romana, quæ ipsi egerint, rata habebit.

- Cum Joannes Papa, consentiente Carolo Imperatore, jubeat & præcipiat, Ansegisus Archiepiscopus Senonensis ipsius Vicarius sit, eique Primatum in Gallia & Germania conferat, cum potestate, convocandi Concilia, & causas currentes canonice decidendi; ita autem ut causas majores ad iudicium Papæ remittere teneatur, hoc Decretum unanimes mi voce confirmamus, & volumus, ut
8. Primas Galliarum & Germaniarum sit.

stro etiam *Judicio confirmamus sententiam, nuper in Concilio a Joanne Papa contra Formosum Episcopum Portuensem depositum, Gregorium Nomenclatorem, Stephanum Secundicerium, Gregorium Vestiarario præfectum, eorumque conscios, latam, atque prout tenemur, omnibus Papæ Decretis obedimus. Confirmamus etiam sententiam latam contra latrocinia Regis Ludovici & consciorum, nisi respiscant & Sacræ Sedi debitam obedientiam præstent.*

Sæculum IX.
A. C. 876.

Articuli Con-
cilio Ponti-
gonensis.

9.

His posterioribus tribus Articulis sine dubio Episcopi Franciæ in Concilio Pontigonensi maximopere offensi.

In eodem Concilio cum Carolus Imperator novum Sacramentum fidelitatis ab omnibus suis Vasallis atque etiam ab

to. 9. Conc.
p. 293.

ibid. Sirm.

Hincmaro Remensi, quem Ludovico fratri suo regnum suum invadenti favisse suspicabatur, sibi præstari jussisset, id impatienter tulit Hincmarus; quod cognoscimus ex libello ad Imperatorem directo, in quo de vocibus prope singulis editi juramenti tricatur. His vero nihil effecit, nisi quod acerbam animi ægritudinem prodiderit. Aliquatamen

op. 61. tom. 2.
p. 834.

attentione digna sunt verba sequentia: *Pater tuus, Beatæ Memoriam, nihil aliud ab Episcopis, qui ad ipsum deponendum consensum præbuerant, atque ab Ebbone factionis Duce petendum sibi esse existi-*

p. 837.

O o 3

mavit,

Sæculum IX. A C. 876. *mavit, quam Literas, quæ in manibus meis sunt. Unde nec ego merebar, ut aliud Sacramentum præter promissionem meam, tamdiu & usque ad senilem ætatem a me servatum, his diebus exigeretur. Sed non est obstupescendi locus, quod officiis præfecti, quos invidia urgete impulerint, ut a me petas, quod Pater tuus toto vitæ suæ tempore a me petendum non credidit, quamvis annis ferme octo me arcanorum omnium confesum habuerit, quin imo quod nec tibi per annos triginta sex, a me exigendum esse, in mentem venit.*

§. XXXVI.

De Appellatione ad Sedem Romanam.

Seff. 3. 7. **I**n Concilio Pontigonensi bis mentio occurrat de contentione exorta, ob Presbyteros diversarum Dicecesium ad Legatos Papæ appellantes, & conjectura est, inde natam fuisse causam scribendi Epistolam, quam Hincmarus ad Papam nomine Imperatoris contra appellationem ad Sedem Romanam jam tunc plus iusto frequentes dedit.

Opusc. 47.
to. 2. p. 768.

In ea Epistola queritur Imperator, quod ex eo tempore, quo inter se & nepotem suum Ludovicum Imperatorem orta fuissent dissidia, Presbyteri citra alpes, ab Episcopis suis canonicè condemnati, ceperint

perint Romam pergere, sine Episcoporum suorum vel Metropolitanarum literis, & Rescripta contra Canones subreptitie obtinuerint. Originem Appellationum ad Papam repetit, nempe Concilium Sardicense, quod Appellationis beneficium solis Episcopis concedit, & causas in ipsis locis ubi oriuntur judicari præcipit. Presbyteros vero vel Clericos inferiores alibi quam coram Episcopis suis, qui consilio Clericorum suorum adjuti judicium ferant, accusari Canones vetant, & si ab Episcoporum Judicio appellare voluerint, ad Episcopos vicinos, secundum Decreta Conciliorum Nicensi & Sardicensis, nempe ad Concilium provinciale, cui Metropolita præest, se convertant. Concilium Carthaginense præcipit, ut Judicium semper in ipsis locis exerceatur, ne difficile fiat testes producere. Quare Canones Africæ causas trans mare deferri prohibebant; *Possumus autem, dicit Epistola, ob æqualem rationem nos citra-alpini cum Africanis conferri. Cum enim Episcopi citra-alpini, propter quemlibet Presbyterum a se damnatum, Acta Judicii & testes necessarios Romam mittere nequeant, unusquisque noxiorum Clericorum, se esse insontem impudenter affirmare poterit, ubi nemo est, qui ipsum convincat.*

Sæculum IX.
A. C. 876.

§. II.

Sæculum IX.

A. C. 876.

Unde cognoscimus, quam sapienter Auctores Canonum decreverint, ut omnes causæ in ipsis locis finirentur, & quantum contra Canones pugnet, compellere Episcopos ad profectionem Romanam usque suscipiendam, ut ibi sua iudicia defendant.

§. XXXVII.

Absolutio per Epistolam.

Cum Hildeboldus Episcopus Sueffionensis, qui Concilio Pontigonensi interfuerat, gravi morbo decumbens confessionem suam scriptam Hincmaro Metropolitæ suo misisset, is satisfactorum se credidit, si in tota Dicecesi Remensis preces pro ægrotante recitari præcipere; sed Hildeboldus receptam iterum confessionem Hincmaro secundo mitens, deferente Presbytero, petit literas absolutionis. Grata fuit Hincmaro hæc devotio; quare, data ad Episcopum Sueffionensem Epistola, dilaudat Sacerdotalem potestatem dimittendi peccata & absolutionem generalem formula precatoria impertitur. Tum addit: *Cum ipse infirmo corpore ad te invisere non possim, spiritu accedam, rogoque fratres nostros Presbyteros, ut tibi faciant, quod ego, si adessem, facerem. Mitto tibi etiam per hunc Presbyterum Oleum,* (*)

Hincm opus.
40. to. 2.
p. 686.

(*) Probatur usus Sacramenti extreme unctionis contra Proteſtantes.

quod ego ipse benedixi. Præterea moneo te, ut cautissime agam, non enim dubito, quin id ipsum jam nunc feceris, præter hanc confessionem generalem, necessarium esse, Deo & Presbytero singula (*) peccata tua cum adjunctis, ab ineunte ætate usque ad hanc diem commissa, confiteri. Sufficit quidem semel Presbytero omnium & singulorum peccatorum nostrorum confessionem exposuisse, nisi relapsi fuerimus. Si quis autem relabatur, ad penitentiam oportet confugere, & meminisse, nihil prodesse dolorem de peccatis, nisi deinde devitentur. Quod spectat ad peccata quotidiana & levia, ea quotidie fratribus nostris confiteri debemus, ut per eorum orationem, atque bona opera deleantur. Facile Lector dignoscet, ab solutionem scriptam, ab Hincmaro transmissam, fuisse aliquod indulgentiæ & benedi-

Sæculum IX.
A.C. 876.

v. Morin.
pæn. l. VIII.
c. 25. n. 45.

O o 5

nedi-

(*) Ex hoc testimonio contra Protestantes conficitur, viguisse consuetudinem, ut Fideles peccata sua Sacerdoti in secreta confessione proponerent. Id vero hodie DD. Prædicantes prudentius omittunt; ut quid enim alteri Collegæ delicta sua non sine rubore aperirent, eos absolvendi potestatem non habenti, quæ extra Ecclesiam Romano-Catholicam non datur? Secundum hos Sacræ Scripturæ Interpretes (si Diis placet) otiose locutus est Dominus, cum dixit: Quorum remisseritis peccata, remittuntur eis &c. Joann. XX.

Sæculum IX.

A.C. 876.

nedictionis genus, non vero absolutio-
nem Sacramentalem, cum præsumat, om-
nia peccata secreto esse Presbytero ex-
ponenda. Tum confessionem genera-
lem, cujus hic mentionem facit, esse il-
lam, quam hodieque *confiteor* appella-
mus, aliasque similes preces, nullo pec-
cato speciatim nominato, recitari so-
litas.

§. XXXVIII.

Ludovici Germanici obitus.

Concilio Pontigonensi soluto, Impera-
tor Carolus duos Legatos Leonem
& Petrum, muneribus cumulos, do-
mum remisit, & comites dedit Anlegi-
sum Senonensem, Adalarium seu Adela-
garium Augustodunensem, sicut Papa
velle se significaverat. Exacto deinde
unius mensis spatio, sicut in Concilio
præstitutum fuerat, Imperator duos prio-
res Papæ Legatos Joannem Tuscanen-
sem, & Joannem Aretinum, cum Odo-
ne Episcopo Bellovacensi, aliosque Ora-
tores suo nomine ad Regem Ludovicum
Fratrem suum, ad ejus filios, ad Epis-
copos & Regni Proceres misit; quibus
vigesima octava Augusti profectionem
susipientibus, eadem die e vita exces-
sit Rex Ludovicus in suo Palatio Fran-
cofordiensi, postquam ab obitu patris
sui annis triginta sex regnasset. Sepul-
tus

Ann. Berti.
876.*Jo. ep. 23.*

tus est in Monasterio Lauresheimensi, Sæculum IX.
 S. Nazario Sacro, atque in Historiæ Scri- A. C. 876.
 ptoribus nostris sub nomine Ludovici ~~_____~~
 Germanici notissimus est. Is a pietate *Ann. Fuld.*
 & justitia in distribuendis Dignitatibus 876.
 tam Ecclesiasticis quam sæcularibus *Metens. 876.*
 commendatur. Ipso defuncto tres filii Car-
 lomannus, Ludovicus, & Carolus Re-
 gnum Germaniæ partiti sunt.

At Carolus Imperator Ludovici Ger-
 manici frater, hac occasione usurus,
 eam partem sibi subjicere, quæ Ludovi-
 co de Lotharii regno obtigerat, atque
 potentiam suam usque ad Rhenum pro-
 ferre cogitabat. Ergo Rex juvenis Lu-
 dovicus, qui in illa regni paterni parte
 successerat, postquam nihil reliquisset
 intentatum, quo Imperatorem patruum
 suum ab armorum consilio dimoveret,
 parato exercitu occurrens, indictis jeju-
 niis & solemnibus precibus Dei auxilium
 sibi conciliare satagebat. Imperatoris *Ann. Bertin.*
 milites inutilem pietatem, ut ipsis vi-
 debatur, ridebant; verum Ludovicus
 quo ostenderet, ex suis partibus stare
 Justitiam, decem viros probationem a-
 quæ ferventis, alios decem ferri can-
 dentis, & rursus decem alios aquæ ge-
 lidæ subire jussit. Perhibentque illius
 temporis Annales, omnes illæfos & in-
 columes evasisse. Ceterum ex histo-
 riæ Scriptoribus constat, quod ubi ad
 pugnam

Sæculum IX. pugnam ventum, Ludovicus, cæsis Ca-
A. C. 876. roli Imperatoris copiis, non ignobilem
 victoriam reportaverit. (*)

Jo. ep. I.

Porro Carolus Imperator, cum se hoc bello implicaret, se ipsum imparem efficiebat ad mittenda Papæ contra Saracenos promissa auxilia, quæ Papa in extrema necessitate constitutus expectabat. Id dispicimus ex Epistola Pontificis ad Bosonem Imperatoris affinem data, in qua dicit: *Nuncium ad nos delatum est, Imperatorem nobis missurum copiarum subsidia, quibus maximopere indiget provincia nostra a Saracenis tota propemodum vastata. Igitur te instantissime rogamus, ne his copiis venturis, aut in tua Ditione jam nunc existentibus moras neçtere permittas, sed velocissime iter facere compellas; nisi enim propediem adfuerint, pejora timenda sunt.*
 Hæc

(*) Ad hunc locum Cardinalis Baronius Num. XXVIII. *Vicit Imperatorem, jam solum turpi fuga . . . suæ consulentem salutem. Consecta fugere quoque Imperatrix ipsa Rachildis, in fuga ita est timore concussa, ut projecisse ex utero fœtum potius, quam peperisse diu possit infantem haud diu futurum supersitem. O humanarum rerum inconstantiam, o duram rerum vicissitudinem! quæ paucos ante dies Imperatorio ornata in Synodo visa est omnibus admiranda, modo fugiens nec tugurio con-
 tegi potuit ad pariendum.*

Hæc Epistola prima Septembris anno o-Sæculum IX.
 Stingentesimo septuagesimo sexto, Indi- A.C. 876.
 ctione decima ineunte, data est, omnium
 prima, quam a Joanne Papa VIII. scri-
 ptam accepimus. Alia, eadem die da-
 ta, Ludovico Regi Germaniæ, cujus
 mortem Papa necdum scire poterat, scri-
 pta est. In ea Papa conquerenti Ludo-
 vico, quod Imperator ejus frater Hære-
 ditatem sibi debitam præripuisset, re-
 spondet, Imperatorem querelas ad Se-
 dem Apostolicam priorem detulisse, nec
 posse se Sententiam pronunciare, prius-
 quam utramque partem audiisset. Ce-
 terum Ludovicum ad pacem conser-
 vandam hortatur, & nemo non videt,
 Papam noluisse offensum sibi habere Im-
 peratorem, a quo sperabat auxilium.

§. XXXIX.

*Translatio Frotarii ad Ecclesiam
 Bituricensem.*

Interim Papa, nuncio accepto, quod Le-
 gati sui Leo & Petrus Ticini essent,
 datis literis iter velocissime facere jubet,
 cumque Romam pervenissent, inter alia
 ab iis percepit, quod Normanni conti-
 nuis incurfibus provinciam Burdegalen-
 sem usque adeo vastassent, ut in ea Fro-
 tarii Archiepiscopi opera prodesse non
 posset. Ergo, ut huic Episcopo campum
 latiore

Ep. 6. 7.

Sæculum IX. latiore aperiret, in quo pro salute ani-
 marum talentis sibi datis uteretur, eum,
 A. C. 876. ab Imperatore rogatus, ad Sedem Bituricensis
 morte Wulfadi vacantem transtulit, addita conditione, ne illa
 translatio futuris temporibus in exemplum trahi posset, utpote contra Canones & urgente necessitate facta. Hæc
 ep. 8. 13. 34. dispicimus ex Epistolis Papæ ad Carolum
 37. Imperatorem, ad Clericos populumque Bituricensis, qui Frotarium sibi expectabant, ad Episcopos illius provincie & ad ipsum Frotarium datis. Quibus Epistolis apposita est dies vigesima octava Octobris anno octingentesimo septuagesimo sexto. In iis vero discimus requisita ad Translationem necessaria, nempe quod Ecclesia, quam Episcopus deserit, sit vastata, & a Clericis populoque Ecclesie, quam adit, expetatur.

§. XL.

Papa auxilium ab Imperatore poscit.

Pontifex, duos Episcopos Ansegisum & Adalgarium ab Imperatore Romanum ad se legatos dimittens, complures Epistolas deferendas iis tradidit. Prima die decima quarta Novembris data est, in qua Gratias dicit Imperatori, quod ipsos ad se misisset; *Verumtamen, inquit, non potuerunt effectui dare, quod voluissent, ad comprimendos Ecclesie Romana*

ep. 23.

manæ hostes. Occultarunt se enim sub Sæculum IX.
 presidio quorundam Marchionum, in te A. C. 876.
 perfidorum, quorum nomina Legati tibi
 indicabunt. Tunc Marchiones illi Præ-
 fecti dicebantur, quibus regnorum fines
 tueri imperatum erat. Obtestamur te
 igitur, dicit Papa, ut viros istos, Eccle-
 siarum expilatores sacrilegos, diligentis-
 sime conquisitos, in exilium ad deserta
 sua peccata mittas. Si enim impuniti
 abierint, plures alios suo exemplo infi-
 cient, & totum tuum Imperium labefa-
 ctabunt.

In altera Epistola Papa auxilia contra
 Saracenos ab Imperatore flagitat. Quan-
 to gaudio, inquit, perceperamus nuncium,
 te nobis copiarum subsidia mittere, tanto
 dolore affecti sumus, cum militem re in-
 secta regressum fuisse scivimus. Chri-
 stianorum sanguis effunditur, qui evadit
 ignem vel gladium, præda efficitur, ca-
 ptivus ducitur in exilium perpetuum.
 Civitates, Oppida, pagi ab incolis deserti
 pereunt, Episcopis hac illacque dispersis.
 Sola Apostolorum Principis limina in
 refugium supersunt. Eorum domus E-
 piscopales jam sunt ferarum receptacula,
 ipsi vagi & sine tectis prædicare non pos-
 sunt, & mendicare coguntur. Anno
 præterito seminavimus, & nihil collegi-
 mus, hoc autem anno quia non semina-
 vimus, ne quidem spem colligendi babe-
 mus.

*Sæculum IX. mus. Sed cur in paganis moramur, cum
 A. C. 876. Christiani nibilo meliores sint, videlicet
 aliqui ex vicinis nostris, quos Marchio-
 nes nuncupare soletis. Hi S. Petri pa-
 trimonia in civitate & ruri diripiunt,
 non ferro sed fame nos perimunt, non nos
 in captivitatem abstrahunt, sed in servi-
 tutem redigunt. Tanta tyrannide op-
 pressis desunt nobis viri, quos hostibus
 opponamus. Tu solus, fili Charissime,
 post Deum, auxilium nostrum es & solu-
 tium. Quapropter totis visceribus cum
 Episcopis, Presbyteris, nobiles, & reli-
 quo populo deprecamur; porrige manu
 periclitanti civitati & Ecclesie Matri-
 tue, a qua non solum regnandi, sed &
 in Dominum unum & verum credendi
 exordium cepisti, & quæ te nuper, spre-
 to fratre tuo, magno Principe, ad Impæ-
 rialia sceptrâ provexit.*

*ep. 26. Papa Richildi quoque Imperatrici
 scripsit, exhortans, ut maritum ad mi-
 tendas suppetias incitet.*

*ep. 24. Alia quoque Epistola ad Imperato-
 rem data erat, sine dubio soli Adalgario
 commissa. Cui Papa Pallium, sicut ce-
 lim S. Gregorius Syagrius ipsius in Sede
 Augustodunensi Antecessori, dederat.
 Ceterum Adalgarium, exploratæ fidei
 virum esse testatur, sed de Ansegiso Ar-
 chiepiscopo Senonensi conqueritur, quod
 cum Sacræ Sedis inimicis præferim*

*Sup. lib.
 XXXVII.
 §. 10.*

Lamberto Duce Spoletano consilia communicaret.

Sæculum IX.
A. C. 876.

§. XLI.

Concilium Romanum.

Quamvis causa Ecclesiæ Torcellensis in Concilio Ravennatensi, anno octingentesimo septuagesimo quarto celebrato, finita videri potuisset, nihilominus non eam, quam par erat, obedientiam Petro Episcopo Gradeni & Territorii Veneti Metropolitanæ Suffraganei ejus præstabant. Unde ille secundo Romam venit, querelas apud Pontificem moturus. Ergo Pontifex Concilium convocare statuit, quod ex ejus Epistolis ad diversos Episcopos datis dispicimus. Dominico, circa cujus electionem versabatur controversia, scripsit in hunc modum: *Quia fama crebrescente Torcellensem Ecclesiam invasisse dicebaris, semel & bis citavimus te, ut Romam venires, ubi causa, præsentibus Petro Gradeni Metropolitana tuo & Episcopis ejus Suffraganeis, fuisset examini subjecta, & te condemnassemus, nisi precibus Ursi Ducis dandum aliquid existimassemus. Idcirco jam te tertio vocamus, jubemusque, ut Romam ad Concilium nostrum decima tertia Februarii celebrandum venias. Alios duos Episcopos Felicem & Petrum Pontifex increpat, quod Metro-*

*Sup. n. 29.
ep. 25.*

Hist. Ecclesiast. Tom. XII. P p poli-

Sæculum IX.
A. C. 876.

politam suam Romam proficentem comitati non fuissent, atque ad partes Adversariorum defecissent. Dominico Olivoletano Venetiis & Leoni Capreni præcipit, ut ibi permaneant. *Sic enim, inquit, ceteris ad Concilium huc venientibus, absentium officium in omnibus, quæ ad Ministerium Episcopale pertinent, supplebitis.*

ep. 17. Simul Papa ad Ursum Ducem Venetorum dedit Epistolam in hæc verba: *Promiseras, Romam te missurum, Dominicum, qui se Episcopum dicit, cum tuo filio, ad definiendam causam Petri Episcopi Gradensis; sed fidem sefellisti. Interim Petrus Episcopus ad nos venit, nullo Suffraganeorum comitante. Hinc Dominico præcipimus, ut Romam veniat, & ne dicat, se sine Episcopis venire non posse, duos eorum advocavimus Felicem & Petrum; sic causa illis præsentibus, quibus satis cognita est, definietur. Vocavimus etiam Archidiaconum Torcelensem, Abbatem Altinensem ceterosque viros ad hæc agenda necessarios. Ideoque hæc tibi significamus, ut Principum Christianorum more eos ad iter suscipiendum subsidiis adjuves.*

Ep. 25. Hæ quatuor Epistolæ prima Decembris anno octingentesimo septuagesimo sexto datæ. Easque Papa ad quemdam Episcopum, nomine Deltum, cujus fidem per-

perspectam habebat, direxit cum mandatis; has redderet, ad quos datae erant, easdem Torcellae praesentibus Clericis populoque recitari, ad effectum deduci, quantum ipse posset, curaret, & omnium actorum rationem sibi deinde perscriberet.

Saeculum IX.
A. C. 877.

Concilium Romanum, ut constituerat Pontifex, anno 877. celebratum quidem; sed Episcopi Dominii Veneti non venerunt, nec quidquam aliud de hoc Concilio nobis superest, quam Acta, quibus Electio Caroli Imperatoris confirmatur; cujus rei causa non alia fuisse videtur, quam quod Carlomannus Caroli Calvi nepos Rex Bavariae huic electioni adversaretur, & Italiam sibi subjicere cogitaret. Miserat vero Carolus mense Februario hujus anni Romam Adalgarium Episcopum Augustodunensem, qui hoc Concilium haberi curaret. Porro Acta, quae habemus, in fronte exhibent amplissimam Papae Allocutionem in laudem Caroli Imperatoris concinnatam, iisque, quae Nicolaus & Hadrianus Pontifices contra hunc Principem scripserant, & rerum illo tempore gestarum veritati, parum consentaneam. Inter alia Joannes Papa de Carolo dicit: *Et quia scimus, id ipsum revelatione caelestis Nicolao Papae fuisse manifestatum, nos eum ex consilio Episcoporum Fratrum*

Ann. Fuld.
876. 877.
Bert. 877.

Electio Caroli confirmatur.

Pp 2 nostre

Sæculum IX. nostrorum, ceterorum Ecclesiæ nostræ
 A. C. 877. Clericorum, Senatus, populique Romani
 elegimus, & pro more veteri ritu solemniter
 per unctiōem exteriorē, quæ unctiōis
 interioris a Spiritu Sancto collatæ signum
 est, ad Dignitatem Imperialem eveximus.
 Non ille in Solum se ipsum intravit,
 nec malis artibus ad summum fastigium
 pervenit; nos eum Imperatorem popose-
 mus & exoptavimus. Unde rogo vos,
 Fratres mei, ut in hoc conventu electio-
 nem ejus renovemus, & confirmemus. E-
 piscopis respondentibus, id ipsum sibi
 probari. Papa Decretum quo confirma-
 batur Electio, anno superiore, Indictio-
 ne nona, facta, pronunciavit, & addidit.
 Si quis huic Electioni, quæ procul du-
 bio a Deo est, adversari voluerit, ana-
 themate feriatur tanquam Dei & Eccle-
 siæ hostis. Perniciosi consilii Auctores
 aut Fautores, publicæ pacis perturbato-
 res, ministri Diaboli, Ecclesiæ & Repu-
 blicæ hostes habeantur. Si viri Eccle-
 siastici sunt, deponantur, & anatHEMA-
 zentur Laici. Ita Censuræ & pœnæ spi-
 rituales, quibus nihil magis sanctum, ni-
 hil magis terribile habet Ecclesia, in ne-
 gotio mere politico adhibebantur. Adal-
 garius Carolo Imperatori hujus Conci-
 lii exemplar tanquam maximum Papa-
 donum attulit. Attamentantis commi-
 nationibus non obstantibus Carloman-
 nus

nus Rex cum valido exercitu in Italiam venit. Sæculum IX.
A. C. 877.

§. XLII.

Saraceni ad portas Urbis.

Interim Papa vehementer instabat, ut Carolus Imperator exercitum mitteret, repellendis Saracenis parem, atque, ut id citius impetraret, ad eum iterum duos Episcopos misit, Petrum Forosemproniensem, qui anno superiore in Francia fuerat, & Petrum Sinigallensem. Epistola ad Imperatorem, quam ferebant, secunda die Februarii anno octingentesimo septuagesimo septimo data est, in qua Papa loquitur in hunc modum: *Pauci, qui de populo in civitate supersunt, cum extrema paupertate luctantur, foris omnia vastata & deserta. Dei hostes illi agros depopulantur, jamque amnem, qui Tibure Romam devolvitur, ubi ripæ custodiri non possunt, superant, & in Territorio Sabinensi locisque vicinis grassantur, Ecclesias & Altaria destruunt, captivos multos abstrahunt, diversis tormentis Presbyteros & Sacras Virgines perimunt, toti circumquaque populo perniciem asserunt. Memineris igitur, quanti labores & jurgia nobis sustinenda fuerint, ut tibi Imperium assereremus, ne si nos in desperationem conjeceris, ad alia & tibi noxia consilia convertamur.*

Pp 3

Nam

Sæculum IX. *Nam præter angustias, quas ob metum*
A.C. 877. *Saracenorum patimur, etiam laceſſunt*
nos mali Christiani, & si quid intactum
illi reliquerint, isti rapiunt. Mitte cum
copiis tuis exploratæ fidei viros, qui præ-
donum improbitatem coerceant. Similis
ep. 31. fere Epistola data erat ad Richildem Im-
ep. 35. peratricem, scripsitque deinde Papa et-
tiam ad Episcopos in Regno Caroli exis-
ſtentes, exhortans, ut mittendum auxi-
lium tanquam rem ad conservandam Re-
ligionem necessariam instantissime cura-
rent. ()*

Leo Chr.
Cass. cap. 46.
p. 178.

Similia dicit Papa de pactis, quæ Neapolitani & aliqui alii Italiae populi cum Saracenis inierant; unde hi via maritime patente descendentes de navibus Urbis portas infestabant. Nullum non movit lapidem Joannes Pontifex, quo Italos ad abjicienda hæc fœdera permove-
 veret; id enim ex compluribus Episto-
 lis

(*) Merito timebat Pontifex, ne, si Roma in potestatem Saracenorum incideret, etiam Religio tristissimam sortem, qua Alexandria, Antiochiæ & Jerosolymæ premebatur, experire cogeretur. Sed cur in solo Carolo & Francis in Gallia regnantibus, spem suam posuerit? Cur non Imperium Romanum Francorum Regibus in Germania imperantibus contulit, eorumque auxilium contra quoscunque Ecclesie Romanæ hostes petiit?

lis mensibus Martio & Aprili hoc anno ^{Sæculum IX,}
 octingentesimo septuagesimo septimo A. C. 877.
 scriptis cognoscimus. Misit quoque ad
 eosdem Walbertum Portuensem, & Pe-
 trum Ostiensem duos præcipuos Sedis
 Romanæ Suffraganeos, ut id faceret, a
 Docibili, & Joanne Imperatoris Constan-
 tinopolitani Legatis rogatus. Dedit ad
 eos literas, atque etiam ad Pulcarium A-
 malfiæ Præfectum & ad Sergium Nea-
 politanæ Civitatis Ducem, præcipuum
 hujus fœderis Auctorem, qui sæpius Pa-
 pam decepit, promittens, se his pactis
 renunciaturum, & semper fidem fallens.
 Exprobravit perfidiam Papa datis ad
 ipsum & ad Athanasium Episcopum ipsius
 fratrem literis, in quibus dicit, quod, si
 populi sui pervicaciam frangere ne-
 queat, eum debeat deserere.

ep. 36.

ep. 38.

ep. 39.

ep. 40.

ep. 41.

Tandem se ipsum Trajectum prope
 Cajetam ad istud negotium componen-
 dum contulit. Ceterum Joannes Papa
 in Epistolis suis dicit; quod Christiani
 talia fœdera ineuntes Creatorem suum
 derelinquant, ut portent jugum cum In-
 fidelibus, & abjiciant fœdus in Baptismo
 cum Jesu Christo initum. Quasivero
 nullum pactum cum Mahometanis aut
 aliis Infidelibus iniri possit, nisi simul eo-
 rum Religio suscipiatur. (*)

ep. 50. 51. 52.

59.

ep. 41.

ep. 50.

P p 4

Le-

(*) Non satis æquus est hic iterum Summo
 Ponti-

Sæculum IX.

A. C. 877.

Ann. Bert.

877.

Sup. Lib.
XLV. §. 53
v. Tilm. S.
Cornel. art.
17. to. 3.
p. 470.

Legati a Papa in Franciam missi Carolum Imperatorem Compendii habuerunt, ubi, transacta Quadragesima Festam Resurrectionis Dominicæ, quod hoc anno octingentesimo septuagesimo septimo in diem septimam Aprilis incidebat, celebraverat. Hi tam apte feliciterque perorarunt, ut Imperator Romam cum exercitu proficisci constituerit. Priusquam vero iter aggrederetur, convocatis Episcopis provinciæ Remensis & quibusdam aliis, Compendii prima die Maji, se præsentem atque S. Sedis Legatis, dedicari curavit Ecclesiam, suis sumptibus ædificatam, juncto Monasterio, quod hodieque floret, ubi Reliquias S. Cornelii & S. Cypriani deponeret. Reliquias S. Cypriani Caroli Magni ætate, ante annos septuaginta, in Franciam delatas fuerant, atque etiam Reliquiæ S. Cornelii Papæ ibi servari dicebantur. His peractis Imperator, viris præpositis qui ipso absente Rempublicam gubernarent, in Italiam

Pontifici Fleurius. Quamvis enim aliqua cum Infidelibus fœdera locum habeant, qualia sunt, quæ hodie Principes Christiani cum Prædonibus maritimis Tunetanis aliisque ineunt, periculis tamen illorum temporum adjunctis, cum Saracenis, non sine magno Italiæ & Ecclesiæ periculo, fœdera & amicitiam colere, quid est aliud, nisi Religionem proderet?

Italiam proficiscitur, & monte Jura su- Sæculum IX.
perato, Adalgarium Episcopum Augu- A. C. 877.
stodunensem Orbæ obvium habuit, af-
ferentem sibi Acta Concilii Romani, in
quo Electio ejus confirmata, & monen-
tem, quod Papa Ticinum usque ad se
procederet.

§. XLIII.

Concilium Ravennatense.

Eodem tempore Papa Synodum om-
nium Episcoporum ex Regno Italiae,
seu Longobardia, ad remedia perturba-
tæ Ecclesiæ & Reipublicæ afferenda, con-
vocavit. Scripsit quoque Archiepisco- ep. 57.
pis Ravennati & Mediolanensi, Antonio
Episcopo Brescensi, Petro & Leoni Epis-
copis in Territorio Venetorum, & Urso ep. 53.
Duci Venetiarum, cupiens causam Ar-
chiepiscopi Gradensis, tam diu agitatum ep. 56. 55.
tandem finire.

Convenerunt vero Episcopi vigesi- ep. 60.
ma secunda Julii anno octingentesimo
septuagesimo septimo, numero quin- tom. 9. Conc.
quaginta si etiam Papa accenseatur.
Tum Anspertus Archiepiscopus Medio-
lanensis, Joannes Archiepiscopus Raven-
natensis, & Petrus Patriarcha Gradensis.
Canones novemdecim conditi; inter p. 300.
quos notatu digniores sunt: Metropo-
lita Neo-consecratus intra tres menses can. I.
Romam mittat, fidei suæ confessionem

Sæculum IX. exponat, Pallium petat, & interea nullo
A. C. 877. fungatur Ministerio. Episcopus Electus

intra tres menses sub pœna excommunicationis consecratur; si ultra quinque menses distulerit, nec in illa Ecclesia, nec in alia amplius consecrari possit. Et communicantur raptores, prædones, & qui cum excommunicatis communicant. Ne vero lateant, Episcopi excommunicatorum nomina Episcopis vicinis, eorumque Diocesanis, denuncient, & ad valvas Ecclesiæ affigant. Et quia

c. 12. quos metus & pudor ad Ecclesiam venire prohibebat, excommunicantur, qui tribus Dominicis continuis abfuerint.

Conc. Tr. Similem constitutionem notavimus

c. 8. cum Concilii in Trullo Canones retulimus. Ceterum in hoc Concilio excommunicationis frequentissime fit mentio; unde pronum est credere, hanc Censuram apud multos contemptu laborasse.

Sup. Lib. XL. §. 52.
c. 15. 16. 17. Prohibetur, ne quis in Beneficium, si est, in Feudum, vel alio modo, Ecclesiæ Romanæ patrimonia petat, addita pœna, ut actus sit nullus, possidens ad restituendos fructus teneatur, & qui dederint vel acceperint ejusmodi patrimonium vel bona ad illud pertinentia anathemate percutiantur.

§. XLIV.

Sæculum IX.

A. C. 877.

*Caroli Calvi obitus. Ludovicus
Balbus Rex.*

Carolus Imperator, accepto nuncio, *Ann. Bert.*
quod Papa Ticinum veniret, Nota- 878.
rio, & Comite cum duobus aliis viris in
Palatio præcipuis, qui omnia ad diver-
sandum Summo Pontifici necessaria pa-
rarent, præmissis, ipse obvium se tulit
tanta celeritate, ut ei Vercellis occurre-
ret. Ergo perhonorifice exceptum, Ti-
cinum deducit, quo cum nuncium affer-
retur, Carlomannum cum valido exer-
citu imminere, Dertonam se recipiunt.
In illa civitate Richildis a Papa Impera-
trix coronata est; moxque accepto Im-
peratoris thesauro, vallem Carocelliam †[†] La Mo-
versus, fugam præcipitat. Ipse per ali-^{rienne.}
quot dies cum Papa moratus est, expe-
ctans Regni sui Proceres; sed receptis
litteris, non esse venturos, Carlomannum
vero propediem adfuturum, uxorem se-
cutus est, Pontifice interim Romam con-
tendente cum effigie Crucifixi aurea
gemmis decorata, quam Imperator S. Pe-
tro dono dabat. Sed & Carlomannus
percepto falso rumore, Imperatorem &
Papam cum instructissimis copiis in se
movere, fugam capessivit. Inter hæc
Imperator in itinere febris corripitur, &
sumpta potione, quam ipsi Sedecias Ju-
dæus

Sæculum IX. A. C. 877. Judæus Medicus suus carissimus veneno mixtam porregerat, sub tugurio in quadam loco, *Brios* dicto, ultra montem Cæneum posito, decima sexta Octobris anno Salutis octingentesimo septuagesimo septimo, postquam ab obitu parentis sui annis triginta septem, & Imperator annis prope duobus regnasset, annum ætatis agens quinquagesimum quartum extinctus est. (*)

Quam-

(*) Judæus quidem iste ab Historiæ Scriptoribus tetri sceleris accusatur, nemo vero addit, quo auctiore, quo consilio, qua spe, vel saltem an vindictæ cupiditate impulsus, atrox facinus ausus sit. Franciscus Pagi in sua Critica ad annum 875. quæstionem movet, an Carolus Calvus juribus Imperii cesserit, & ex Marca lib. 3. de Concordia cap. XI. illud affirmante affert: *Carolus Calvus Imperator a Johanne VIII. renunciatus consortium illud amovendo anno octingentesimo septuagesimo sexto, solumque jus in civitatem Romanam Sedis Apostolicæ tribuit.* Ad hæc Pagi respondet: *Verum Summos Pontifices supremum Urbis & Exarchatus Ravennatensis Dominium Imperatores contulisse, tot sparsim rationibus comprobavi, ut tantum supersit demonstrare, Carolum Calvum huic juri non renunciasset.* Certe Annalista Fuldenfis, qui Ludovico Germanicæ Regi in omnibus studuit, & Carolum Calvum ejus fratrem passim Tyrannum appellat,

Quamvis vero defuncti corpus aromatibus conditum fuisset, nemine tamen intolerabilem fœtorem ferente, visum est, illud interim in Monasterio Nantua-
no Diœcesis Lugdunensis terræ esse mandandum, unde post aliquot annos ejus ossa ad S. Dionysii Monasterium in Francia translata.

Inter alia ex eo Carolus Calvus commendatur, quod literas a Carolo Magno avo suo tantopere amatas restituerit, viros doctos undique, præsertim ex Hibernia, accersiverit, & in suo Palatio Magistros ali voluerit.

Carolo Calvo successit in regno Franciæ Ludovicus filius, annos natus triginta

Sæculum IX.
A. C. 877.

Ann. Fuld.
877.

Ann. Met.
877.
Her. Antiss.
præf. in vit.
S. Germ.

pellat, hoc non prætermisisset, si revera factum fuisset. Et tamen hoc anno solum ait: Quanta potuit velocitate (Carolus Calvus) Romam profectus est, omnemque Senatum populi Romani more Jugurtino corrupit, sibi que sociavit. Sequuntur cetera quæ in Fleurio hoc Libro Num. XXX. & XXXIV. leguntur. Tum iterum Pagi ex Annalista Fuldensi: Plurima etiam incredibilia se contra Hludovicum Regem & Regnum illius facturum minatus est. Tandem addit Pagi; Rem adeo notabilem vel aliquis ex Annalists compluribus, qui res illius ævi adnotarunt, vel alius aliquis Auctor cœvus silentio non pressisset. Sed non desunt Argumenta, quæ Marcæ opinionem, quam multi secuti sunt, evertant &c.

Sæculum IX. ta quatuor, ex prima uxore Hermentru-
 A. C. 877. de genitus, & Balbus dictus. Is Com-
 pendii octava Decembris eodem anno
 Ann. Bert. Hincmari Archiepiscopi manibus unctus
 877. est, habemusque illas preces, quas in
 Hincm. to. 1. illa coronatione pronunciavit, atque et-
 p. 747. tiam promissa, quibus se Rex Episcopis
 to. 2. p. 271. & Regni Proceribus, hi vero Regi se in-
 vicem obstrinxerunt. Rex deinde ad
 Hincmarum Archiepiscopum, quo senio-
 rem & rebus gerendis aptiorem in re-
 gno suo non habebat, misit mandata,
 iussitque ad se venire, ejus consilio pro
 salute Ecclesiæ & Reipublicæ usus.
 Sed Hincmarus excusavit se, quod se-
 nili ætate & corporis infirmitate nec
 ter suscipere, nec utilem operam Regi
 conferre posset, priusquam Comitia Pro-
 cerum convocarentur, interim autem,
 quæ suadenda censebat, datis literis
 perivit.

Hugo Lo-
 tharii filius.

Flod. III.
 hist. c. 19.
 c. 26.

p. 539.

Cum Hugo Regis Lotharii & Wal-
 dradæ filius collectis copiis grassaretur,
 sperans se regnum paternum obtinere
 posse, Hincmarus, jubente Ludovico
 Balbo, ei scripsit in hunc ferme modum
*Antiquus Regis parentis tui, & Imp-
 ratoris avi tui amicus, cum te quoque
 die tenerrime diligam, monere te cogor,
 latrocinia, ceteraque crimina, qua tui
 auspiciis perpetrantur, tuæ nocere ani-
 mæ, atque in æternæ damnationis peri-
 culum*

culum te conjicere. Motæ sunt contra te querelæ in Concilio in Neustria celebrato; ego vero ab Episcopis jubeor tibi scribere, & exhortari, ut impios consultores a latere removeas, & spem regnandi abjicias. Nisi obtemperes, Episcopos meæ provinciæ aliarumque vicinarum convocabo, te & conscios tuos excommunicabimus, & latam sententiam Papæ, omnibus Episcopis & Principibus adjacentium regnorum denunciabimus. Circumspice ergo, Fili mi, quantum tibi immineat periculum! noli credere vocibus adulantium tibi, & inanem spem regnandi ingerentium. Memento, plurimum nocuisse patruis tuis, quod contempta Lege Dei Regno inhiaverint, & parentem tuum, postquam multas ærumnas sustinisset, & Regno & vita fuisse privatam. Ceterum, pollicitus est mihi Rex, quod cupiat te honore & divitiis cumulare, si fortem, quam tibi parat, capere possis. Expecto a te responsum certum, & sincerum.

§. XLV.

Bernoldi Visio.

Haud diu postquam Carolus Calvus Imperator ex hac vita migrasset, cum quidam vir in Diocesi Remensi, Bernoldus nomine, in morbum incidisset, fessus est, accepit absolutionem, unctio-

nem,

Sæculum IX.
A.C. 877.

Hincm. opus.
50. to. 2.
p. 805.

Sæculum IX. nem, & Viaticum; moxque ad extrema
A. C. 877. deductus, quatrinduo nec vocem emisit,
 nec quidquam alimenti præter aquam
 recepit. Die quarta vix satis deprehen-
 di poterat, an adhucdum spiraret. At
 media circiter nocte, oculos aperit, &
 voce firma uxorem, aliosque adstantes,
 jubet Confessarium suum celeriter ad-
 vocare. Intrat Presbyter, & peractis
 consuetis precibus, a Bernoldo apud le-
 ctum sedere rogatur. Tum ægrotans
 profatus est in hunc modum: *Collige ani-
 mum tuum, prodigiosa enim ex me me-
 dies, atque obortis lacrymis & inter cre-
 bros singultus dixit: In mundum alterum
 & in nescio quem locum translatus, vidi
 Episcopos quadraginta & unum, inter
 quos Ebbonem, Leopardellum, & Aeneam
 cognovi (Leopardellus idem ac Pardulus
 fuisse creditur) squalidis centonibus &
 fuliginosis tectos, & quasi per ignem tra-
 ductos. Jamque frigore concuti, jam ac-
 criter æstuare videbantur.*

*Ebbo, meo nomine me compellans, di-
 xit: quia tibi licebit ad corpus tuum ve-
 dire, ego & Fratres mei te rogamus, ut
 nos adjuves. Respondi: quomodo possum
 vos juvare? Et ille: Vade ad Vasallos
 nostros Clericos & Laicos, quos beneficia
 cumulavimus, & pete pro nobis eleemo-
 synas, preces, & Missas. Respondi: Ne-
 scire me ubi Vasalli eorum degerent.*

via comitem dederunt, qui me ad magnum **Sæculum IX.**
 deduxit Palatium, in quo permultos ipso- **A. C. 877.**
 rum Vasallos, de Dominis suis defunctis
 loquentes, conspexi. Postquam quæ in
 mandatis habebam exposuissem, eodem
 duce ad locum, ubi erant Episcopi, rever-
 sus, vidi eos læta facie, quasi rafa barba
 nitidos, & ex Balneo recenti venientes,
 Albis, † Stolis, sed sine Casulis, indu- † vestibus
 tos. Tunc Ebbo ad me: Intelligis jam,
 quantum opera tua levati simus? huc us-
 que sub severo, ut vidisti, ergastulario
 fueramus, nunc vero S. Ambrosii custo-
 diæ traditi sumus.

Ex illo loco delatus sum in alium,
 tenebris opertum, unde prospectus erat
 in regionem clarissimam, floridam & sua-
 ve olentem. In illa caligine autem vidi
 jacentem Regem Carolum, de cujus cor-
 pore pus exibat. A vermibus corrode-
 batur, nihilque præter ossa & nervos su-
 pererat. Is ad me: Bernolde! cur nul- **Bernoldus.**
 lum mihi affers auxilium? Accede ad E-
 piscopum Hincmarum, & refer, quod i-
 deo pati cogar, quæ vides, quia ipsius a-
 liorumque amicorum meorum admoni-
 tionibus obsecutus non fui. Dic, quod
 Episcopum semper magno in pretio ha-
 buerim, & jam sperem, quod opem latu-
 rus sit. Roget ipse nomine meo omnes
 clientes meos, ut & ipsi auxilium præ-
 stent, si enim communem operam con-
 Hist. Eccles. Tom. XII. Q9 tute-

Sæculum IX. *tulerint, brevi ab hac pœna liberabor.*
 A. C. 877. *Quæsiui, quis esset ille locus mihi conspicuus, unde tantæ lucis fulgor & odoris suavitas emanaret. Hæc est, inquit, Beatorum Sedes. Addidit Bernoldus in sua narratione: Propius me admovi, vidiq; tantam rerum pulchritudinem, tam exquisitas delicias, ut verbis hominum explicari non possint. Vidi innumerabilem multitudinem hominum candidis tunicis splendentium, & latantium. Vidi lucida sedilia, quorum aliqua adbuendum vacua venturis incolis parata erant. In illa via vidi etiam Ecclesiam, in quam ingressus conspexi Hincmarum cum Clericis suis præparatum & vestitum ad cantandam Missam, & retuli, quæ Rex Carolus iusserat. Mox ad locum, in quo Rex erat, regressus, vidi in luce habitantem, optima valetudine fruentem, & Regiis vestibus ornatum. Atque ille ad me: Vides, quanta bona, dum mandata mea pertulisti, præstiteris?*

Bernoldus vidit quoque Jesseum Episcopum & Comitem nomine Otharium, in suppliciis gementes, quos etiam sicut illos, quos memoravimus, eripuit. Ipsi vero promissum, quod morbo liberatus annis quatuordecim superstes futurus esset. Cum hanc visionem Confessario suo narrasset, Communionem petiit & accepit. Dixit deinde,

se esurire, afferuntur cibi, & ipse receptis viribus convaluit. Re ista ad Hincmarum delata, accersivit ille Presbyterum virum prudentem & pium, quem cum jussisset omnia narrare, vera esse credidit, quia similia prodigia in Dialogis S. Gregorii, in Historia Bedæ, in Scriptis S. Bonifacii Moguntini, & tandem in Visione Wetini legerat. Ergo data ad omnes Fideles Epistola, in qua historiam totam refert, exhortatur, ut in hoc Mundo degentes semper de sorte sua in altero solliciti sint, remediis a Deo preparatis utantur, & imprimis pro Rege Carolo, aliisque defunctis orent. (*)

Sæculum IX.
A. C. 877.

Sup. Lib.
XLVI. §. 54

§. XLVI.

Capitulare Hincmari.

Paulo ante, nempe undecima Julii anno octingentesimo septuagesimo septimo, Hincmarus quædam documenta duobus Presbyteris, quos constituebat Archidiaconos, tradidit. Ferme omnia eo tendunt, ut a sordida cupiditate abstrahantur, quo vitio haud dubie alii laboraverint. *Visitantes parochias rurales, meum, inquit, sequimini exemplum, & parochis oneri esse nolite. Homines*

Hincm. to. 1.
p. 38. to. 8.
Conc. p. 591.

Q q 2 non

(*) Hæc narratio omnibus veritatis notis destituitur; & deinde unus testis nullus testis.

Sæculum IX. *non necessarios non circumducite, nec lon-*

A. C. 877. *giore quam opus sit tempore in domo
parochorum moras trahite. Non susci-*
piatis ejusmodi itinera, ut aliorum a-
sistentemini, sed ad erudiendos Presby-
teros populumque, si eorum vitam & more
perspexeritis. A parochis nihil exigitis,
nec pecuniam, nec res alias, porcos re-
frentes, pisces, caseum, quibus postea re-
versi amicis vestris mensam instruat.
Pro labore visitandi nihil accipite, nec
tunc, quando Sacrum Chrisma a vobis pe-
tunt, nisi ultro quidquam obtulerint.

7. *Parochias nec conjungite nec divi-*
dite, quicumque vos roget. Nec Eccle-
sias, in quibus ex omni hominum memo-
ria Presbyter fuit, alteri Ecclesie subi-
3. *cite. Quilibet vestrum pro sua regione*
omnium Ecclesiarum & Sacellorum Sy-
labum mihi mittat. Nemini conce-
tis sine mea licentia Oratorium dome-
sticum habere, & mittite mihi Indices
omnium illorum, quæ a tempore Ebbonæ
9. *erecta fuere. Nulla munera accipiat*
a Presbyteris rogantibus, ut eorum mu-
lam famam dissimuletis, reconciliationem
pænitentium differatis, aut data recon-
ciatione eorum curam dimittatis. Si
quis relabatur, mihi nunciate, quo vobis
& parochis præscribere possim, quid so-
10. *ciendum sit. Diligentissime inquiretis*
qualis vita & scientia illorum sit, quos
11. *offerre*

offeretis ordinandos, & cavete, ne donis Sæculum IX.
A.C. 877.
 seducti præsentetis indignos.

Ubi novus Decanus constituendus est, electionem mihi reservate, si non procul absum; si vero in loco remoto existam, Decanum ad tempus constituite. Inde Decanorum ruralium antiquitatem dispicimus.

13.

§. XLVII.

Res Italica.

Carolo Imperatore fati functo, Carlomannus Rex Bavariæ rursus in Italia regnandi, & ad Dignitatis Imperialis fastigium perveniendi spem concepit. Datisigitur ad Papam literis, promisit, quod majora in Ecclesiam Romanam beneficia, quam Antecessorum suorum ullus, collaturus esset. Papa respondit: *Mercedem ab illo recipies, qui promisit: quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.*

ep. 63.

1. Reg. 2, 30.

Quando reversus fueris a colloquio cum fratribus tuis, mittemus tibi illa omnia, in Articulos divisa, quæ Ecclesiæ Romanæ concedere debes. Postea adornabimus etiam Legationem solemnem, quæ te magnifice Romam deducat, ubi pro Bono Republicæ & Salute populi Christiani consilia capiamus. Rogamus te vero, ne, postquam adveneris, aures præbeas criminationibus quorundam perfidorum, qui insidiantur vitæ nostræ, quacunque de-

Sæculum IX. *munum ratione ad tuam notitiam pervenerint. Mittimus de more pallium, quod ut Theotmaro Archiepiscopo concederemus petiisti, & rogamus, ut te præcipiente singulis annis redditus patrimoniorum S. Petri in Bavaria positorum Romam mittat.* Fuit is Archiepiscopus Bavariensis seu Salisburgensis, cui etiam Papa alteram scripsit Epistolam. Utrique vero mense Novembri anno octingentesimo septuagesimo septimo data erat. Postea visum est Papæ, se ipsum ad Carlomanum conferre.

ep. 66.

Matth. 5,
23. 37.

ep. 67.

Sergio Duce Neapolitano foedera cum Saracenis, sprete Papæ excommunicatione, contumaciter servante, tandem ipsius frater Athanasius Episcopus captum, erutis prius oculis, Romam mittit, seque ipsius loco Ducem Neapolis proclamari jubet. Hoc factum Papæ omnino probabatur, quod ex Epistolis ad Episcopum & Neapolitanos datis cognoscimus. Dilaudat Episcopum, quod Deum plusquam fratrem amaverit, & quod secundum præceptum Evangelii: *Si oculus tuus scandalizet te, erue eum, & projice abs te, egerit, quod in Civitate Neapolitana dominatum hominum Sæcularium, sceleratorum, sustulerit, & constituerit virum Principem de domo Domini, qui in justitia & Sanctitate gubernet.* Neapolitanis quoque suam laudem

dem tribuit, quod a Sergio pœnas repo-
 poscerint, atque Episcopum suum sibi Ju-
 dicem & Ducem elegerint. Idque non
 sine numine Cœlesti factum putat. Ce-
 terum ad Festum Paschale se ipsis mille
 quadringentas argenti marcas missurum
 pollicetur. Sequentia docebunt, quo
 spiritu ad hæc agenda Athanasius Epis-
 copus impulsus fuerit.

Sæculum IX.
 A. C. 877.

v. Cang.
 Gloss.
 Marcus.

Tandem, cum Papa ab Imperatore
 Carolo nihil auxilii contra Saracenos ac-
 cepisset, & parum opis a Carlomanno,
 vel ab aliis Principibus illa ætate regnan-
 tibus speraret, tandem in pacta cum In-
 fidelibus consentire, & singulis annis vi-
 ginti quinque millia marcarum argenti
 pendere coactus est. Tunc igitur ad
 accersenda a Basilio Imperatore subsidia
 adjecit animum, quod ex duabus Episto-
 lis decima septima Aprilis anno octin-
 gesimo septuagesimo septimo datis
 cognoscimus. Una scripta est Agoni E-
 piscopo Beneventano, quem rogat, ut
 Epistolam adjunctam primo Græcorum
 militum Præfecto, qui in illas regiones
 pervenisset, traderet, & instaret, ut sal-
 tem decem navigia leviora, Romanis
 præsidium, mitteret. Altera data est ad
 Gregorium, quem Basilius Imperator
 cum exercitu in Italiam miserat. Gra-
 tulatur Papa auspiciatum adventum, &
 rogat, ut memorata decem navigia ad

ep. 46.

Qq 4 oras

Sæculum IX. oras Romæ vicinas impelli jubeat, quo
A.C 877. a piratis Arabicis mare purgaretur, cum
 procul dubio hæc res Imperatori displicere non posset.

§. XLVIII.

Paulus & Eugenius Constantinopolim Legati.

Anno uno exinde elapso, cum Basilis Imperator, duabus Epistolis ad Papam datis, Legatos ad se mitti petiisset, respondit Papa: *Ex geminis Epistolis tuis cognovi desiderium tuum pacem in Ecclesiam Constantinopolitanam reducere; vehementer autem dolemus, quod postquam tot labores susceperimus, nec dissidia omnia sint sublata, & multi viri Deo Sacri, adhuc in variis locis dispersi persecutionem, a qua cunctos liberatos esse credebamus, sustineant. Nempe necdum fracta erat factionis Phorinæ potentia. Tum Papa prosequitur: Mittimus vobis ad res componendas duos Legatos Paulum & Eugenium Episcopos, quorum consiliis uti solemus. Scientiam & fidem eorum habemus perspectam, eique mandata nostra in literis dedimus. Jussimus quoque, eos ad Regem Bulgarum accedere. Hinc te rogamus, ut ipso illo euntibus & revertentibus præsidium præstes.* Ceterum Paulus erat Episcopus Anconitanus, & Eugenius Ostientis.

Huic

Huic Epistolæ juncta erat alia ad Ignatium Patriarcham data, in qua Papa dicit, Ignatium jam bis a se monitum fuisse, ut ab omni actu Jurisdictionis in Bulgaria abstineret. Sæculum IX.
A.C. 878.

*Itaque hanc tertiam, inquit, canonicam admonitionem per Legatos & Epistolas nostras tibi insinuamus & præcipimus, ut sine mora in Bulgariam mittas viros sedulos, qui totam regionem pervadant, & omnes Clericos, quos tu vel Episcopi tibi subjecti ordina-
verint, reducant; nec post unum mensem vel Episcopus vel Clericus a vobis ordinatus ibi supersit. Nam pati non possumus, quod isti novellam Ecclesiam a nobis plantatam suis erroribus inquinent. Nisi intra memoratum tempus illos revocaveris, & omni Jurisdictioni in Bulgariam renunciaveris, duobus mensibus post acceptas nostras has literas elapsis, a communione Corporis & Sanguinis Domini Nostri exclusus sis, donec obedias, & si in pertinacia perseveraveris, Dignitate Patriarchali, quam nobis faventibus recepisti, privaberis.*

Joannes VIII.
ad Ignatium.

ep. 79.

Tantus rigor in Sanctum Episcopum non satis opportune adhibitus videtur.

Eadem severitas, quin major in Epistola, ad Episcopos Græcos in Bulgaria existentes, data notatur. Excommunicatos declarat, & Depositionis pœnam comminatur, nisi intra mensem ex illa

Q 9 5 regio-

Sæculum IX. regione excefferint; econtra si morem
A. C. 878. gefferint, promittit se eis illam Cathedram, quam in Græcia prius tenuissent, redditurum, aut aliam vacantem collaturum. In eadem causa scripsit Papa Michaeli Bulgarorum Regi, hortatus, ut a Græcis recederet, ne Hæresi, in quam sæpe auctoritate Patriarcharum aut Imperatorum suorum impulsus laberetur, & ipse inficeretur. Tandem scripsit etiam Petro Comiti, olim ab eodem Rege, sedente Nicolao Pontifice, Romano missa. Epistolæ istæ decima sexta Aprilis, Indictione undecima, nempe anno octingentesimo septuagesimo octavo datæ, & omnes Paulo & Eugenio Legatis commissæ. Addidit Papa & aliam ad Imperatorem Basilium, in qua commendabat eosdem Legatos, qui ei etiam verbis exposituri essent, quam gravem persecutionem ipse sustineret, & quæ nuper Romæ contigissent; nempe auxilium rogare iussi erant.

ep. 76.

Sup. Lib. L.

§. 54.

Sup. Lib.

LI. §. 54.

ep. 81.

§. XLIX.

Multa a Lamberto Romæ vi peraguntur.

Hic procul dubio Summo Pontifici sermo est de persecutione, quam Lambertus Dux Spoletanus infererat. Hunc Principem a Carolo Imperatore

re (*) cum copiis subsidiariis, quibus Ci-
 vitati Romanæ adversus Saracenos præ-
 sidium præstare imperatum erat, in Ita-
 liam missum, Papa sibi amicissimum ve-
 nire credebat. Sed jam mense Octobri,
 anno superiore, octingentesimo septua-
 gesimo septimo, cum Lambertus nomi-
 ne Imperatoris petiisset, ut Romani ex
 primis stirpibus obsides sibi mitterent,
 & Papa in solemnibus conventibus id retulis-
 set, hanc postulationem cuncti indignan-
 tes rejecerunt. Scripsit ergo Lamberto
 Pontifex: *Non expedit, te rebus necdum
 pacatis Romam venire.* Et in alia Epi-
 stola dicit: *Ærumnæ, quas ab annis duo-
 bus, Infidelibus & compluribus aliis ho-
 stibus nos persequentibus, sustinemus, co-
 gunt nos in Franciam ad Regem Car-
 lomannum proficisci.* Francia diceba-
 tur totum Francorum tam in Germania
 quam

Sæculum IX.
 A. C. 878.

Chr. Cass.

(*) Carolus Calvus Imperator anno octin-
 gentesimo septuagesimo septimo sexta Octobris
 obiit. Incertum vero erat, quis ex Regibus
 Francorum hanc Dignitatem esset consecuturus.
 An non ad securitatem tam Ecclesiæ quam Rei-
 publicæ præstandam & pacem conservandam
 satius fuisset, Successioni hæreditariæ in linea
 primigenita locum dare? Sic enim sublato uno
 Imperatore non defecisset alter, spes imperan-
 di autem omnibus aliis præcisa, & cupiditas &
 ambitio in cunis fuisset jugulata.

Sæculum IX. quam in Gallia Imperium. *Exhortor te*
A. C. 878. *igitur, subjungit Papa, ne interea Territorium S. Petri hostiliter invadas; quod si feceris, a Sacrae Sedis Communionem excluderis. Et post alia: Relatum est ad nos, quod hostibus nostris auxilia pareris (nempe Formoso Episcopo & Gregorio Magistro militiæ) eos Romam reducere sis, ut in Bona sua restituas. Unde rogamus te, amicum nostrum per illam spem, quam in te posuimus, ne modo Romam venias, ubi tibi honorem convenientem exhibere non possumus. Plura tibi Gaudericus & Zacharias Episcopi, quos ad te mittimus, aperient. Quod spectat ad Marchionem Adalbertum, certissime scias, nos venientem non esse recepturos, utpote hostem nostrum manifestum.*

ep. 37. Tandem, cum Lambertus ad Papam Epistolam dedisset, & loco vocis: *Sanctitas tua*, scripsisset: *Nobilitas tua*, qui titulus viris præcipuis sed sæcularibus tribui solebat, atque reprehendisset, quod sine sua licentia Legationem adornaret, Papa, audaciam exprobrans, amicitia ipsius se renunciare declaravit.

ep. 84. Tot admonitionibus spretis Lambertus cum Adalberto & exercitu, adjacentes agros depopulante, Romam movit, atque a Papa in Basilica S. Petri ut amicus exceptus est. Ipse vero, suis portas obsidere jussis, urbem in suam potestatem

Ann. Fuld.
878.

tem redegit, ipsumque Papam in Ecclesia S. Petri, illa ætate extra civitatem posita, inclusit, nec ut Optimates, Episcopi, aut Presbyteri quin & familiares ad eum accederent, nisi diu multumque rogatus permisit. Imo etiam prohibuit, ne annona inferretur. Episcopi, Presbyteri, Monachi ad Basilicam S. Petri solemniter procedentes ad offerendum Sacrificium, pulsi & fustibus cæsi. Mense integro nudum Altare, & Ecclesia sine luminari fuit, Officia diei noctisque cessarunt. Pontificis hostes, videlicet Formosus & quos cum ipso condemnaverat, Romam reveci.

Sæculum IX.
A. C. 878.

ep. 90.

Lambertus obtendebat, se omnia hæc ita perficere, sicut a Rege Carlomanno sibi imperata essent, atque etiam Romanos Principes huic Regi fidem jurare jussit. Attamen sibi ipsi Lambertus Imperium quærere dicebatur. Postquam Roma excessisset, Papa in Palatium Lateranense transferri jussit totum thesaurum Basilicæ S. Petri, jussit Altare cilio sterni, claudi portas, cessare Officia Divina, & quod magis horrendum videbatur, peregrinos ex omnibus orbis partibus adventantes arceri. Ceterum Lamberto & consciis excommunicatis, constituit ad Carlomannum ceterosque Francorum Reges se conferre, & querelas movere, quod Urbis Romanæ Sanctitas

Ep. 85. 88.

Ann Fuld.

Ep. 84.

Ann. Bert.
878.

tas

Sæculum IX. A. C. 878. tas fuisset violata. At Lamberto omnes vias terra obstruente navem in mari

ep. 82.

ep. 84.

Thuscio vela facturam conscendit. Priusquam itineri se daret scripserat Papa Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi, propositum sibi esse, in Francia Concilium universale celebrare, ut tantis Ecclesie malis mederetur, cum illud in Italia haberi non posset, & eum cum omnibus suis Suffraganeis venire jusserat. Data quoque ad Joannem Archiepiscopum Ravennatensem Epistola, omnia, quæ evenerant, edocuit, jubens, ut ea Suffraganeis scriberet, & nemo ad partes Lamberti accedere auderet.

§. L.

Joannes Papa in Francia.

ep. 89.

Ubi Joannes Papa Genuam pervenit, Epistolas ad Reges quatuor, Ludovicum Balbum, & tres Ludovici Germanici filios dedit, easque Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi, qui ad Papam se contulerat, deferendas tradidit. In

ep. 87.

prima Epistola Papa Lambertum membrum Antichristi appellat, & accusat, quod e suis aliquos Tarentum misisset, qui pactis cum Saracenis conditionibus copias ab ipsis conducerent. Ludovicum Balbum rogat, ut tres alias Epistolas Regibus patruelibus suis mittat, declarat, quod eum sibi a consiliis deligat,

sicut

sicut habuisset parentem ejus, & potestatem convocandi Concilia tribuit. Citat deinde quoddam Scriptum seu Commentarium, in quo Actionis articulos fufus exposuerat. Arelatem pervenit Papa in Festo Pentecostes, undecima Maji anno octingentesimo septuagesimo octavo, ibique a Bosone & Hermengarde uxore, Ludovici Imperatricis filia, peramenter exceptus, Imperatrici deinde Angelbergæ Hermengardis Matri collocutus gratias egit, adjiciens, cupere se Bosonem ipsius generum ad altiora honorum culmina evehere, videlicet corona Regia ornare; quod anno sequente factum. Ut precibus hujus Principis, cui denegare nihil poterat, obsequeretur, Rostangio Archiepiscopo Arelatensi, non Pallium modo sed etiam Officium Vicarii Apostolici in Galliis contulit, præcipiens; absque ipsius facultate Episcopi ab Ecclesiis suis procul non discederent, ipse Synodos convocaret, & Quæstiones Fidei, duodecim saltem Episcopis præsentibus, definirer; valde difficultia autem Pontificis Judicio reserveret. Metropolitam quemquam ordinare prohiberet, priusquam Roma Pallium accepissent.

Papa, Bosone comitante, deductus Lugdunum, inde ex suis misit ad Regem Ludovicum Balbum, Turone commorantem,

Sæculum IX.
A. C. 878.

Ann. Bert.

sp. 92.

Sæculum IX.
A. C. 878. rantem, qui suo nomine rogarent, ut ad locum, qui Regi commodissimus videretur, veniret. Misit Rex Episcopos ipsius nomine rogantes, ut Papa Trebas usque procederet, ubi celebrandum erat Concilium, eumque Episcoporum Regni sui expensis sustentari iussit. Cum Papa, Cabilloni ad Ararim diversanti, equi furto nocturno fuissent abacti, & famulus cujusdam Presbyteri Pontifici ministrantis in Monasterio Flaviniacensi scutellam argenteam furrupuissent, Excommunicationem contra Sacrilegiorum istorum auctores & conscios promulgavit.

ep. 97.

ep. 98. 99.

In itinere scripsit duodecim Archiepiscopis, jubens, ut Suffraganeos suos ad Concilium adducerent, videlicet Rostangio Arelatensi, Ostramo Viennensi, Aureliano Lugdunensi, Roberto Aquisgranensi, Teutramo Tarentasiano, Sigibodo Narbonensi, Ariberto Embrodunensi, Hincmaro Remensi, Ansegiso Senonensi, Frotario Bituricensi, Joanni Rotomagensi, & Actardo Turonensi. Scripsit peculiarem Epistolam Hincmaro Remensi, quanta viri merita essent non ignarus, & cum videre cupiens. Tres quoque Archiepiscopos Germaniæ cum suis Suffraganeis, nempe Luitpertum Moguntinum, Guilbertum Colonensem, & Bertulfum Trevirensis datis literis vocavit, rogans ut Ludovicum Regem Germaniæ

manix fratresque ejus ad Concilium in-Sæculum IX, vitarent. Verisimile est, ideo Civitatem Trecensem celebrando Concilio fuisse delectam, ut Principes & Præsules transrhenani eo facilius illuc commeari possent.

§. LI.

Concilium Trecense. ()*

(*) *Tricasti-*

Nihilominus nec Archiepiscopi, nec Reges, ipsorum Domini, quamvis Papa instantissime id petiisset, advenerunt, & in hoc Concilio tam solemni ritu convocato non occurrunt plures quam triginta Episcopi, videlicet Joannes Papa, & tres Episcopi Itali, ipsius in illa professione Comites, Walbertus Portuensis, (*) Petrus Forosempronensis, & Paschasius Amariensis. Octo deinde Archiepiscopi, Remensis, Senonensis, Lugdunensis, Narbonensis, Arelatensis, Turonensis, Vefuntinus, Viennensis, & tandem Episcopi decem & octo, quorum præcipui fuerunt, Isaacus Lingonensis, Agilmarus Claromontanus, Ottulfus Trecensis, Guillebertus Carnutensis, Ingevinus Parisiensis, & Hedenulfus Laudunensis. (**)

num.

ep. 117. 118.

to. 9. Conc.

p. 313.

Sessio

(*) Unde cognoscimus, hunc Formoso deposito fuisse subrogatum.

(**) Hincmari Laudunensis viventis Successor.

Sæculum IX.

A. C. 878

p. 307.

p. 309.

Sessio prima hujus Concilii in Ecclesia Cathedrali Trecensi S. Petro Sacra die decima Augusti, anno octingentesimo septuagesimo octavo, priusquam omnes Episcopi convenissent, celebrata. Jubente Pontifice recitata est oratio, quam præparaverat sperans, majorem in hoc Concilio futuram esse hominum frequentiam, quippe ad omnes Principes omnesque Orbis Præsules dirigetur. Hortatur, ut doloris sui participes evellent, & Ecclesiam Romanam ab injuria vindicarent, quam Matri omnium Ecclesiarum Lambertus & conjurati intulissent. *Nos, inquit, & Episcopi Italia Fratres nostri in Basilica S. Petri sceleratos excommunicavimus, & Censuram hujus Decretum in eadem Ecclesia suspendimus, quod omnes ingredientes & egredientes legant. Ergo & vos, Fratres mei, flagitiosos excommunicate & mecum anathematizate.* Episcopi hanc rem differri petierunt, usque dum Collega fuisset.

In secunda Sessione Pontifex ad Episcopos, qui supervenerant, ait: *Ceteri Fratres nostri Ecclesie Romanae necessitates perceperunt, volumus, ut & vos audiat. Cumque deinde in actibus ageretur, quam esrenata violentia Lambertus Romæ omnia susque deque vertisset, legentem turbavit Concilium clamantem.*

clamando: *Secundum Leges Civiles mor-* Sæculum IX.
te afficiendus est, & anathemate perpetuo A. C. 878.
percutiendus. Tum Concilium moram

sibi concedi petiit, ad deliberandum, quid ad Pontificis postulationem scripto respondendum esset. Interim jussit Papa, ut latam a se excommunicationem omnes Metropolitæ suis Suffraganeis mitterent, quam in omnibus Ecclesiis promulgarent. Hincmarus autem Archiepiscopus dixit: *Secundum Sacros Canones damno illos, quos Sacra Sedes damnat, recipio, quos recipit, & teneo quod illa tenet juxta Scripturam & Canones.* Eadem Aurelianus Archiepiscopus Lugdunensis, aliique Episcopi professi sunt.

p. 308.

Surgens deinde Rostangius Archiepiscopus Arelatensis Libellum Concilio obtulit contra Episcopos & Presbyteros, qui ab una Ecclesia ad aliam transibant, & contra viros, qui rejectis uxoribus suis, iisque adhucdum aura fruentibus sacrilego conjugio aliis jungebantur.

Sessio II.

Walbertus Episcopus Portuensis quæsit, quid de hac re Concilium sentiret, & Hincmarus Archiepiscopus omnium nomine certum temporis spatium præstitui petiit, quo Canonum auctoritas exconquisitis textibus adduceretur. Theodoricus Archiepiscopus Vefuntinus mulierem detulit, nomine Versindam, quæ,

R r 2

post-

Sæculum IX. postquam Velamen monasticum recepisset, prohibitas nuptias molita erat.
A. C. 878.

In Sessione tertia omnes hujus Concilii Episcopi Papæ Decretum tradiderunt, in quo consensum suum profitebantur. Erat vero Decreti Summa hujusmodi: *Domine, & Sanctissime Pater,* (*) nos Episcopi Galliarum & Belgicæ simul & Discipuli tui compatimur dolori tuo, & deflemus mala, quibus Ministri Diaboli Sanctam Matrem nostram ac Magistram omnium Ecclesiarum afflixerunt. Judicium tuum, quod secundum Canones pronunciasti, cum hostes Ecclesiæ gladio Spiritus interemisti, voce & mente unanimes sequimur. Quos excommunicasti excommunicatos tenemus, quos anathematizasti anathematizatos esse judicamus, quos receperit Sacra Sedes, postquam congrue satisfecerint, recipiemus. Sed nos quoque similia mala in nostris Ecclesiis lugemus. Hinc omni mentis humilitate deposcimus, ut nos adjuves, & regulas præscribas, quibus nos contra prædones Ecclesiarum nostrarum agere oporteat. Ita nos & Successores

(*) In ipsis Actis Conc. legitur: *Domine Sanctissime & Reverendissime Pater Patrum Joannes Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ videlicet Romanæ primæ Sedis Papa, nos simul ac discipuli vestræ auctoritatis &c.*

*res nostri auctoritate tua muniti invaso-
res fortius repellemus, & pænis canonicis
comprimemus.*

Sæculum IX.
A. C. 878.

p. 308.
p. 310. n. 3.

Papa hoc Decretum Episcoporum propriis manibus lætus accipiens vicissim Episcopis aliud tradidit, in quo omnes Bonorum Ecclesiasticorum raptores excommunicabantur, nisi ante Calendas Novembris restituissent ablata. Si non resipuerint, anathematis vinculo constricti remanent, & si pertinaces obierint, nemo eorum corpora ritu Ecclesiastico sepeliret. Deinde Pontifici & Concilio duo Libelli oblati. Unus contra Hincmarum Archiepiscopum, & alter contra Ratfredum Episcopum Avenionensem, quocum Walfredus Episcopus Uzetien- sis de Jurisdictione in quamdam parochiam disceptabat. Cum Episcopus Avenionensis esset absens, nihil amplius in hoc Concilio contra eum motum; sed Papa judicium in hac causa ferendum Episcoporum litigantium Metropolitæ videlicet Archiepiscopis Arelatensi & Narbonensi reliquit, qui causam convocato sufficiente Episcoporum numero in ipsis locis definirent.

p. 308.

Joan. ep.
122.

§. LII.

Libellus Hincmari Laudunensis.

Hincmarus Laudunensis Libellum contra Avunculum suum tradidit, in quo

p. 315. n. 9.
Sup. n. 10.

Rr 3

quo

Sæculum IX. quo, sermone ad Papam directo, conque-
 rebatur in hunc modum: A. C. 878. *Cum Archiepiscopus Remensis me ad Concilium Durziacense vocasset, ut ad quosdam articulos responderem, & ego celeriter iter facerem, mediam viam emensus, abstrahor ab ovibus meis armatorum violentia, omnibus bonis spoliatur, & Durzicum deducor. Adventum meum præventerat Rex Carolus, aderatque manu tenens libellum in quo me accusabat perjurii, quod aliquos ex meis, non petita ab ipso licentia, Romam misissem, & contra ipsum querelas movissem. Archiepiscopus iussit me respondere. Dixi, paratum me venisse ad respondendum circa articulos, propter quos ab ipso vocatus fuisssem. Cumque urgeret, ut ad Regis querelam responderem, reposui, secundum Canones virum spoliatum, & inter armatorum manus custoditum, ad respondendum non teneri. Adjeci, Hincmarum Remensem dudum & merito mihi esse suspectum, quin imo etiam bestem manifestum. Itaque tam a Rege accusante, quam ab Archiepiscopo innocentem me vexante ad Sacram Sedem appellavi. Legi Canones afferentes auctoritatem Julii & Felicis Pontificum pro appellatione Episcoporum, & proiecisti in terram corpore obtestatus sum, ut quod per Canones mihi liceret, non prohiberetur*

facere

facere. Præterea habebam apud me Pa-
 pæ Epistolas, ante breve temporis spatium
 mibi redditas, in quibus mibi præcipie-
 bat, ut omiſſa omni mora ad ſe venirem.
 Sed fruſtra omnia, nam Archiepiſcopus
 ſententiam Excommunicationis in me
 pronunciavit, quam ceteri Epifcopi ſlen-
 tes & ingemiſcentes (omnes enim me di-
 ligebant) legere coacti ſunt. Adjecerunt
 tamen in fine Verba ſalutiſera: Salva
 inprimis Sacræ Sedis auctoritate &
 Judio. Miſſus deinde in exilium, cu-
 ſtodior, & non nunquam vinculis fer-
 reis adſtringor. Elapſo autem prope
 biennio, oculorum lumine, quo nihil ho-
 mini carius, privor. Quamprimum li-
 bertate uti potui, veni, & jam pedibus
 tuis advolutus, rogo, ut ſecundum Cano-
 nes de me decernas.

Sæculum IX.
 A. C. 878.

Tum Archiepiſcopo Remenſi tem-
 pus conſtitutum, intra quod ad has que-
 relas reſponderet.

§. LIII.

Acta in Concilio Trecenſi.

In Sèſſione quarta Concilii Trecenſis
 nihil notatu magis dignum actum,
 quam quod Canones a Papa Joanne con-
 diti lecti fuerint, atque a Concilio re-
 cepti & confirmati. Sunt numero ſe-
 ptem, & ferme omnes ad rem Eccleſiarum
 temporalem ſpectant.

p. 308.

p. 312.

R r 4

Epis-

- Sæculum IX. Episcopus cunctæ mundi potestates
 A. C. 878. honorent. Nemo coram eis, nisi ipsis
 præcipientibus sedere audeat. Laici res
 Ecclesiasticas sine Episcoporum consensu
 nullo modo contingant. Nullus vel a
 Papa vel ab aliis Episcopis Mönasteria,
 patrimonia, domos, agros ad Ecclesias
 pertinentes sibi expetere præsumat, nisi
 illi, quibus per Canones id licet. Hic
 Canones anno superiore in hac causa Ra-
 vennæ editi confirmantur. Episcopi ve-
 xationes, quas Collegæ & Fratres sui
 sustinent, non parvipendant, sed unani-
 miter conjuncti, baculo Pastoralis & apo-
 stolica auctoritate succincti pro Ecclesia
 Christi decertent. Clerici vel Laici ab
 Episcopis suis excommunicati ab aliis
 non recipiantur, ut sic ad pœnitentiam
 arripiendam adigantur. Nemo alterius
 Vasallum nisi in illis causis, in quibus
 Leges civiles concedunt, suscipere præ-
 sumat. Episcopum occulte accusare non
 liceat, sed publice, sicut antiqui Cano-
 nes præcipiunt. Si quis contra hos Ca-
 nones peccaverit, Clericus Ecclesiastico
 honore privetur, & Laicus cujuslibet
 Dignitatis careat Dignitate. Quod ul-
 timo loco additum est, potestatem Ec-
 clesiasticam excedit; sed præsentia Re-
 gis, qui huic Concilio interfuit, hunc de-
 fectum supplere poterat.

Postquam lecti fuissent novi Canones, recitata est in Concilio sententia secundo pronunciata contra Formosum Episcopum Portuensem & Gregorium Militiæ Romanæ Magistrum. Anathemate feriebantur, præcisa spe absolutio- nis, quod Reges & Principes suis libel- lis importune fatigarent, & partem suam de Ecclesiarum rapinis acciperent. Cun- cti eorum Fautores seu Sectatores, Epis- copi, Laici, potentes, & plebeji, uno a- natemate involvebantur.

Sæculum IX.
A. C. 878.
Jo. Ep. 319.
Sup. n. 34.

In Sessione quinta Ottulfus Episco- pus Trecensis contra Isaacum Lingonen- sem actionem movit, ob vicum, quem ad suam Dioccesim pertinere affirmabat. Theodoricus Archiepiscopus Vesunti- nus libellum obtulit contra quosdam Suf- fraganeorum suorum, qui ad Synodum vocati necdum venerant. Lecti sunt Canones, qui Episcopos a minore Eccle- sia ad pinguiorem transire vetant. Hæc querela peculiariter spectabat ad Frota- rium Archiepiscopum Bituricensem, qui sua ex parte quoque querebatur, quod Comes Bernardus armata manu sibi Bi- turigas intrare volenti viam præclude- ret. Ambos Papa ad Concilium venire jusserat, cumque Frotarius moras necte- ret, præcepit ei Papa tertio, ut veniret, & afferret Pontificum Epistolas, quibus Translationem suam approbari dicebat.

p. 308.
Sup. n. 39.
Concilium
Trecense,
Ep. 104. 105.
Cont. Tricas.
In n. 10.

R r 5

In n. 10.

Sæculum IX. In hac ergo causa lecti sunt Canones
A. C. 878. Concilii Sardicenis, Decretum Leonis
 Papæ, de Episcopis Sedem mutantibus,
 & Canones Africa, qui eodem modo E-
 piscopos transferre ac Baptismum vel
es. 5. p. 311. Ordinationem iterare prohibent. Tan-
 dem Concilium Decretum condidit, quod
 Laicis prohibet, dimissis uxoribus suis,
 iisque luce fruentibus, alias accipere.
 Jubentur primam uxorem admittere, &
 cut etiam Episcopi relicta Sede minore
 majorem non retinere, sed sine mora ad
 priorem redire.

Jo. ep. 115.

Frotarius ad Concilium adventi,
 cumque aptissime causam dixisset, obti-
 nuit, ut secundo citaretur Comes Ber-
 nardus, qui eum accusabat, quod Civita-
 tem Bituricensem Ludovici Regis ini-
 micis prodere molitus esset. Sed Fro-
 tarius objecta sibi a Bernardo coram Con-
 cilio & Rege, qui tunc advenerat, faci-
 le diluturum se affirmabat. Itaque Ber-
 nardum Comitem cum Vicecomite Ge-
 rardo aliisque tribus, ad judicium secun-
 dum Canones & Leges subeundum ite-
 rum citatum, & venire recusantem Con-
 cilio excommunicavit, jam prius a Fro-
 tario excommunicatum.

ep. 120.

§. LIV.

Ludovicus Rex coronatur.

Conc. n. II. **H**is peractis Joannes Papa, septima Se-
ex Ann. Bert. ptem.

ptembris anno octingentesimo septua-
 gesimo octavo, Ludovicum Balbum, et si
 anno superiore eum Hincmarus unxis-
 set, Regem coronavit, (*) atque finito
 solemniter ritu invitatus est ad eum invi-
 sendum in Regia arce extra civitatem
 posita. Unde, mensæ adhibitus, & post
 epulas tam a Rege quam ab uxore ejus
 donis cumulatus, Trevas remittitur.
 Jussit deinde Rex, missis Proceribus, Pon-
 tificem suo nomine rogari, ut etiam u-
 xorem suam Reginam coronaret; sed
 impetrare non potuit, procul dubio,
 quod Regis nuptiæ Papæ non probaren-
 tur. Nam Rex Ludovicus prius uxorem
 acceperat Ansgardem ex nobilissima
 Francorum prosapia natam, ex qua duos
 filios susceperat. Quia vero in deligen-
 da

Sæculum IX.
 A. C. 878.

Sup. n. 44.

Ann. Met.
 878.

(*) In Critica P. Pagi ad hunc locum lego:
*Hæc Ludovici Balbi Coronatio a Joanne Pa-
 pæ peracta, Baronio anno superiori Num. XVII.
 Et hoc anno Num. XXXIII. aliisque non pau-
 cis erroris causa fuit. Existimarunt enim Lu-
 dovicum Balbum Carolo Calvo patri in Impe-
 rium successisse, cum tamen hæc Coronatio Re-
 gia fuerit non vero Imperialis, licet Joannes
 Papa in Ludovicum Balbum Imperium trans-
 ferre studuerit, ob idque a Romanis vexatus
 Urbe hoc anno excedere coactus sit, uti refert
 Sigebertus in Chronico.*

Ceterum ipse Ludovicus a titulo Impera-
 toris abstinuit.

Sæculum IX. da uxore Regis parentis sui consensum
A. C. 878. non exploraverat, ille rejecta Ansgarde
 filium compulerat ad ducendam Adel-
 heidem, quam Papa corona Regia orna-
 re recusabat. Quippe etiam Ansgardis
 in vivis agebat. (*)

Tum

(*) Laude dignissima est in hoc loco Jo-
 nis Papæ constantia.

Largissimus in Reges est Joannes Launojus
 in suo Tractatu: *Regia in Matrimonium pe-
 testas*, edito, Paris. 1674, cum Principibus non
 modo jus Matrimonia legibus civilibus coe-
 cendi, sed etiam dirimendi tribuit. Verum au-
 diamus R. P. Natalem Alexandrum in Artic. de
 Joanne VIII. Pontifice. *Scriptit ad Ederedum
 Archiepiscopum Anglorum* (Joannes Papa
 Ep. LXV.) *De Matrimonii indissolubilitate.*
Præclarum legitur hac in Epistola testimonium,
quod hic subjicio, ut innotescat, quam fuit
circa hancce quæstionem Romanæ Ecclesiæ
traditio. His autem, inquit, quos asseris uxores
proprietas contra præceptum Domini relin-
quere, præcipimus neque virum ab uxore, ne-
que uxorem a viro, nisi causa fornicationis, di-
scedere; quod si ob hoc discesserit, manere in-
nuptum vel innuptam, aut sibi mutuo reconcili-
ari: Quoniam dicente Domino, quod Deus
conjunxit, homo non separet; Et ideo cum prio-
rem sibi legitimo matrimonio junctam quis
quam deserere nequeat, nulla ratione illi pro-
sus conceditur aliam, vivente priore, condu-

Tum Frotarius Bituricensis & Adal-
 garius Augustodunensis Joanni Pontifici
 tradiderunt Caroli Imperatoris literas,
 quibus Filio suo Ludovico jam morti pro-
 ximus Regnum donaverat, cum gladio
 S. Pe-

Saeculum IX.
 A. C. 878.
 Ann. Bert
 878.
 ibid. ann.
 875.

re; quod si fecerit, & non emendare sub satis-
 factione studuerit, ab Ecclesiae consortio maneat
 separatus. Hoc Testimonium Joannes Lau-
 nojus in Libro de Regia in matrimonium po-
 testate, insigni & Bonis omnibus execranda
 fraude corrupit; ita enim scribentem Joan-
 nem VIII. refert: pag. 483. Et ideo cum
 priorem legitimo sibi matrimonio junctam quis-
 quam deserere nequeat, illi conceditur, aliam
 vivente priore ducere. Expunxit tria haec
 vocabula interpolator, NULLA RATIONE
 PRORSUS. Sic etiam refert priora verba
 Pontificis: PRÆCIPIMUS NEQUE VI-
 RUM AB UXORE, neque uxorem a viro,
 nisi causa fornicationis, discedere, quod si ob
 aliud discesserit, manere innuptum, vel innu-
 ptam. Scripsit Pontifex Joannes, quod si ob
 hoc discesserit, sed Launojo intererat mutare
 HOC in ALIUD. Quod significaret, Joan-
 nem VIII. fuisse in ea sententia, ut conjux
 discedens quidem, ob aliam causam quam for-
 nicationem, debeat manere *εγαμος*: at vero ob
 fornicationem discedens, aliarum nuptiarum
 habeat potestatem.

In Editione Operum Launoji Coloniae Al-
 lobrogum anno 1731. pag. 842. tom. I. omni-
 no

Sæculum IX. S. Petri in signum Investituræ. Unde
A.C. 878. dispicimus, quod de Regno Italiae & Di-
 gnitate Imperiali ageretur, cum de Re-
 gno Franciæ jam quæstio esse non pos-
 set, postquam illa corona Pontifex Lu-
 dovicum ante paucos dies decorasset.
 Petebant igitur duo Episcopi nomine
 Regis, ut Papa illam donationem Impe-
 rii, ab Imperatore Parente suo sibi fa-
 ctam, datis literis confirmaret. At con-
 tra Pontifex Abbatia San-Dionysianæ
 Donationem, quam a Carolo Imperato-
 re Ecclesiæ Romanæ factam esse dice-
 bat, produxit, petiitque, ut hanc Lud-
 vicus Rex confirmaret, si vellet, ut ipse
 Donationem Imperii ratam haberet.

Crediderunt plurimi, hanc Donatio-
 nem Monasterii S. Dionysii colludente
 Rege pactam, ut prætextum, illud Go-
 zelino, Cancellario suo, & S. Germani
 de

no ita lego: *Et ideo, cum priorem legitimum
 sibi matrimonio junctam quisquam deserere ne-
 queat, illi conceditur, aliam vivente priore con-
 ducere.* Additque Launojus: *Quid clarius
 expressius?* Sed ego in his verbis sensum non
 reperiō. Quomodo enim conceditur aliam vi-
 vente priore ducere, si priorem deserere ne-
 queat? Alteram vero depravationem, cujus eum
 accusat Alexander in ista Editione non video,
 sed lego: *Quod si ob hoc discesserit.* Forte
 istud in posteriore Editione correctum.

de pratis Abbati, cui memoratum Monasterium contulerat, auferendi, sibi que retinendi haberet. Ita utraque Donatio effectu caruit.

§. LV.

Concilii Trecentis finis.

Decima Septembris, cum Rex ad Papam se contulisset, & familiariter collocutus fuisset, ambo in Concilium ingrediuntur. Illa die Excommunicatio pronunciata est contra Principem Hugonem Lotharii filium ejusque conscios, & nominatim, Emmonem, Bernardi Comitis fratrem, in patriam adhuc dum grassantes, contempto juramento fidei, quam Hugo Regi Ludovico juraverat.

Jo. ep. 12.

Tum, instantibus quibusdam Episcopis, & Rege consentiente, statuit Joannes Papa, ut Hedenulfus, Hincmaro subrogatus, Sedem Laudunensem teneret. Hoc autem modo Hedenulfus Cathedram Episcopalem Laudunensis Ecclesie conscenderat. Carolus Imperator, postquam Corona Imperii redimitus fuisset, Roma abiturus, a Pontifice literas obtinuerat, eadem die quinta Januarii anno octingentesimo septuagesimo sexto datas, & ad Hincmarum Remensem directas, quibus Sententiam Concilii Duziacensis contra Hincmarum Laudunensem latam confirmabat, Archiepiscopo præcipiens, ut sine dilatione in locum ipsius alium Episcopum eligi

Sæculum IX.
A. C. 878.

ep. 314.

to. 9. Conc.
p. 280.

eligi curaret, & addens, ad hanc electionem quemquam ab Imperatore delegatum esse vocandum, qui tumultuantes coerceret. Unde, ut his mandatis satisfaceret, Hedenulfus a Clero & populo consentiente Rege canonice electus, quod ex Decreto Electionis vigesima octava Martii anno octingentesimo septuagesimo sexto dispicitur, & Papæ auctoritate consecratus est. Ergo Joannes Papa in Concilio, ut diximus, decrevit, ut Hedenulfus Sede Episcopali non cederet, Hincmarus vero cæcus, si vellet, Missam cantaret, & partem de redditibus Ecclesiæ acciperet. Atque Rex consentiebat. Cumque Hedenulfus licentiam ab hac Sede discedendi peteret, quod corporis infirmitate premeretur, & in Monasterium sercipere cuperet, eam non modo non impetravit, sed etiam Papa, Rege & Episcopis, qui Hincmaro favebant, consentientibus, ei districte præcepit, ut Sedem suam teneret, & Ministerio Episcopali fungeretur. At vero amici Hincmari cæci, facultate a Pontifice ipsi facta usi, eum vestibibus Sacerdotalibus indutum, Papa subito sistunt, mirantibus ceteris Episcopis, moxque in Ecclesiam cantantes volentem deducunt, & ad benedicendum populo (*) invitant.

(*) Nec ex verbis Fleurii, nec ex Actis Conc. Sub
cip
per

Sub finem Concilii Papa Episcopos Sæculum IX.
 allocutus est in hunc modum: *Fratres* A C. 878.
& Coepiscopi mei, volo, ut mecum operam
jungatis, cum omnibus Vasallis vestris ar-
matas, ad defendendum Ecclesiam Roma-
nam, donec in Sedem Beati Petri Apostoli
revertar, & rogo, ut mihi certum sine
dilatione detis responsum. Tum ad Re-
 gem conversus, rogo te, carissime fili, in-
 quit, ut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ celeri-
 ter opem feras, quod Antecessores tui fe-
 cerunt, & tibi, ut facias, mandata reli-
 querunt. Nam Ministri Dei estis, nec
 sine causa, sed in vindictam malorum, gla-
 dium portatis; ne forte, quod absit, ea-
 dem pœna, quæ aliquando veteres Reges,
 Dei inimicis intempestive parcentes, at-
 trivit, vos & regnum vestrum maneat.
 Si aliud vobis videtur; per Deum & Concilium
 Sanctum Petrum obtestor, saltem in hoc Tricassinum.
 loco sine mora respondete. Nullum Re-
 gis vel Episcoporum legitur responsum.
 Non enim credebant, Pontificis esse præ-
 scribere Regi, (*) qua potissimum ratio-
 ne

fatis dispicitur, an Hincmarus cæcus exinde so-
 lus Episcopus Laudunensis fuerit, & Hedenulfus
 ad Asceterium convolaverit.

(*) Asper admodum in hoc loco est Fleu-
 rius Joanni Pontifici. Non enim semper præ-
 cipit, sed etiam rogat; & in tantis Ecclesiæ
 periculis utrumque facienti quis succenseat?

Hist. Eccles. Tom. XII.

S s

Sæculum IX. ne viribus suis, & jure gladii uti deberet, aut imperare Episcopis, tanquam rerum temporalium Dominis, Regisque vasallis. Suæ ipsis copiæ erant necessariae ad serviendum Regi, & ad se ipsos contra Normannos & pravos Christianos tuendum. Nihilominus jussit Rex, Episcopos ad ferendum Papæ auxilium proficisci, sed solus Agilmarus Claromontanus Papam in Italiam redeuntem comitatus est, quo eum Boso cum valido præsidio deduxit. Papa hunc Episcopum in Franciam remittens datis literis Regem rogavit, ut ceteros Episcopos sine mora cum militibus suis Romam contendere compelleret. Itaque hoc Concilium Trecense, quod Joannes Papa tanta mole coegerat, Republicæ Romanæ parum emolumenti & multo minus Ecclesiæ attulit.

Conc.

Tricass. n. 11
8. 13.

to. 9. Conc.
p. 239.

In Concilio Trecensi Joannes Papa quædam privilegia diversis Franciæ Ecclesiis, nempe Turonensi, Pictaviensi, & Monasterio Floriacensi ad Ligerim concessit. Prorsus singulare autem illud fuit, quo sexta Septembris Walam Episcopum Metensem, tribuens ei Pallium, ornavit; quam vero prærogativam non ipsius Ecclesiæ sed Personæ annexuit. Sed cum anno sequenti ad notitiam Bertaldi Archiepiscopi Trevirensis Metropolitanæ, cui Ecclesia Metensis suberat, pervenisset, quod

quod Wala in Festo Resurrectionis Do-
 minicæ Officium Divinum Pallio insignis
 peregisset, Treviros accersitum interro-
 gavit, quis ei hanc potestatem fecisset.
 Wala privilegium Pontificium publice re-
 citari a suis iussit, dicens, quod Anteces-
 sores sui quatuor Urbicius, Chrodegan-
 gus, Angelramus, & Drogo, Pallio usi
 fuissent. Contra vero Bertulfus prælegi
 Canonem præcepit prohibentem, ne Suf-
 fraganeus quocunque privilegio, quo non
 omnes Antecessores ejus gavisi fuissent,
 sine Metropolitæ sui consensu uteretur,
 eumque amplius Pallio indui vetuit. Un-
 de magnum inter Metropolitanam & Suf-
 fraganeum ortum dissidium. At post-
 quam Wala Hincmarum Archiepis-
 copum hac de re consulisset, suavitè, ut
 se Metropolitanæ sui præcepto submitteret,
 ambosque reconciliavit.

Sæculum IX.
 A. C. 878.

Flod. L. III.
 c. 23. p. 491.

Concilio Trecensi jam soluto, Hinc-
 marus Remensis apud Pontificem accusa-
 tur, quod Decretales Epistolas Pontifi-
 cum non reciperet. Additi erant & alii
 Articuli. Unde coactus est Hincmarus
 ad scribendum Apologeticum, quod ad
 nostra usque tempora non pervenit. In
 eo autem dicebat; quod Decretales a
 Conciliis approbatas reciperet. Ratio-
 nem de iis reddebat, quæ in causa nepo-
 tis sui Episcopi Laudunensis & Hedenulfi
 Successoris ejus acta fuerant. Tandem

Flod. L. III.
 c. 21. p. 427.
 c. 29. in fi.

Sæculum IX. etiam de illis, quæ ad Carlomannum per-
A.C. 878. tinebant.

ep. 116.

ep. 117.

ep. 141.

ep. 142.

ep. 139.

ep. 134.

ep. 128. 130.

131.

Joannes Papa in Italiam reversus de Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi querebatur, quod in causis Ecclesiæ se non adjuvisset. Præcepit deinde, ut cum omnibus suis Suffraganeis, secunda die Decembris ad celebrandum Concilium Ticinum veniret. Joanni Episcopo Ticinensi in mandatis dedit, ut Suffraganeos Ecclesiæ Ravennatis tunc defuncto Joanne Archiepiscopo vacantis, atque inter alios, Episcopum Parmensem, Placentinum, Regiensem, & Mutinensem convocaret. Dicit Papa in illis mandatis, Episcopum Ticinensem soli Papæ esse subjectum, eique & Successoribus potestatem tribuit convocandi ad Synodum Episcopos Sedibus Mediolanensi & Ravennati subjectos. His vero præcipit, ut Ticinensi obedirent. In Sede Ravennate successit Romanus, Diaconus, cui Papa datis literis Dignitatem Archiepiscopalem gratulatus est. Sed nullus Scriptor memorat, an Concilium, Ticini indictum, locum habuerit; verum ex Epistolis Berengarii Comitis & Supponis videmus, in hoc Conventu tam de rebus politicis, quam Ecclesiasticis agendum fore.